N
W

2780/B

N. IV. C
18

24253

Prima Pars

DISSERTATIO PHILOLOGICA
DE
DÆMONIBUS,

QUAM

INDULTU

AMPLISS. FACULT. PHILOSOPHICÆ

D. XXX. JUN. MDCCVI.

PUBLICE DEFENDENT

M. JUSTUS GOTTHART RABENER, Lipſ.

ET

CHRISTIANUS FRIDER. REINECCIUS, ISLEB. THUR.

LIPSIÆ,

Literis CHRISTIANI GOEZI.

1.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

JOVA JUVA.

PROOEMIUM.

CUm de *Dæmonibus* ex *Theologia veterum Gentilium* acturus ſim, & neceſſarium eſſe, nec ingratum fore arbitror, ſi quædam præmiſero, quid huic doctrinæ apud gentiles ortum dederit. Hujus laboris eo majorem fructum futurum confido, quo pulchrior eſt ea, quæ inter eorum, & veram doctrinam obſervatur convenientia. In quo ſi demonſtrando prolixior eſſe vellem, & a meo ſcopo nimis aberrarem, & Iliada poſt Homerum, cum Huetius jam hoc labore defunctus ſit ſcriberem. In ea vero ſum opinione, non traditione ſola per generationes propagata hoc *de Dæmonibus* dogma niti, ſed vel maxime per lumen naturæ ut angelos crederent eos fuiſſe adactos. Et ne gratis id aſſeruiſſe videar, ex ipſorum verbis & recepta inter Philoſophos doctrina ſententiam meam probare laborabo. Mitto enim jam, quod ex ſumma ſummi regis majeſtate miniſtris eum opus habere argumentari potuerint, imo forte etiam ſint argumentati. In præſenti ea tantum tangam, quæ de omnium rerum, tam in ſenſibili quam intelligibili mundo mutuo nexu & arctiſſimo vinculo, quod ΣΕΙΡΑΝ vocabant loquuntur. Nominatim hanc ΣΕΙΡΑΝ ab Homero (*a*) expreſſam video, ubi Jovem factiones Deorum, partim pro partim in Trojam ſtantium ſedare cupidum inducit. Verba ad nos pertinentia ut tota huc transferam merentur, ſunt autem hæc:

(*a*) Il. 9. ſub init.

pertingentem. Μίαν *denique* ΣΕΙΡΑΝ, καὶ τάξιν ἀδιάλυτον ἄνωθεν καθήκοντα, manifeſte nominat. Ab hoc vinculo, & ex hac ſcala veniunt diviſiones illæ *Dæmonum* in claſſes, varie a variis elatæ. Euſebius (*b*) *in quatuor genera diſtingui* dicit πάντα τὸν λόγον, *primum* eſſe *Dei*, qui μέγιστος alias δαίμων, νοῦς item, τἀγαθὸν & μόνας τετρακτὺς vocatur Philoſophis. *Secundam claſſem* eſſe *Deorum*, quos *aur. Carm.* θεοὺς ἀθανάτους appellant, *tertiam Dæmonum*, ut & *Jamblichus* vocat, vel *Heroum*, ut *aur. Carm.* vel *angelorum* ut *Hierocles*. Horum variæ rurſus ſunt ſubdiviſiones, dividuntur enim *trifariam* juxta *Hieroclem* in *Angelos*, *Dæmones* & *Heroes*, *dupliciter* a *Jamblicho* in *Heroes* & *Dæmones* vel ut aliter effert, *Dæmones* & *Angelos*, quorum porro ſunt ordines, *Archontes* & *Dæmones*, vel *Archangeli* & *Angeli*. *Quarta* denique *claſſis* continet ἥρωας, aliter vocatos ψυχὰς, vel δαίμονας καταχθονίους. Inſignis hic eſt Plutarchi locus (*i*) de *Heſiodo* referentis, *quod* τέσσαρα γένη τῶν λογικῶν, *itidem conſtituerit*, θεοὺς, εἶτα δαίμονας πολλοὺς (ἴσ. κακοὺς l. φαύλους) κἀγαθοὺς, εἶτα ἥρωας, εἶτα ἀνθρώπους τῶν ἡμιθέων εἰς ἥρωας ἀποκριθέντων, quam diviſionem *Pythagoræ* quoque fuiſſe Laertius nos docet. (*k*) Tres priores *Jamblichus* etiam habet, *Hierocles* item & *Euſebius*, ultimam claſſem *Pythagoras* & *Heſiodus* adjecere. Hic egregie ſimul obſervatur, ἥρωας ab illis non pro talibus ſumi, qui ex Deo & mortali ſunt procreati, ſed pro ψυχαῖς illis ſeu *Dæmonibus* καταχθονίοις. In mutatione item *Semideorum* in *heroes* aperta κλίμακος noſtræ habemus ſigna. *Meliores* enim *animas ex hominibus in heroes, ex heroibus in Dæmones, ex Dæmonibus autem quam pauciſſimos in Deos mutari* ait. *Plato* ut Athenagoras (*l*) teſtatur, *trifariam* tantum mundum intelligibilem diviſit, ſc. in *Deum ingenitum, ſtellas ab illo creatas* & *Dæmones*. De *heroibus* autem, quos tamen & *Thales* in ſuâ diviſione habuerat, eum plane nihil dicere, dictus pater asſerit. Dicere tamen omnino, & *heroes* ipſum ſub generali *Dæmonum* nomine, ut appellari conſueverunt eum compre-

hen-

(*b*) Præpar. III. 9.

(*i*) de Def. Orac. p. m. 186.

(*k*) VIII 23.

(*l*) in legat. p. m. 25.

hendere cenſeo. Piaculum rem merituram arbiter, ſi τάξιν ἔννομον ab Hierocle (*m*) memoratam prætermitterem, quæ θεῶν ἀθανάτων hos facit πρώτους hos vero δευτέρους. Statuebant enim illi Philoſophi, inter ipſos etiam certos eſſe atque diverſos gradus & ordines, hincque Jamblichus (*n*) πάντων τῶν γενῶν τῶν περὶ αὐτοὺς ὄντων meminit. Hancce σειρὰν tam firmam eſſe putabant, ut Tyrius (*o*) prolixe probet *Dæmones cum medium conſtituant genus abeſſe non poſſe*, quam in rem Plutarchus (*p*) etiam manifeſte loquitur. Ita autem catenam illam ſibi concipiebant veteres, ut & in qualitatibus horum ſpirituum per gradus quaſi aſcenſus daretur. Clarus hanc in rem locus eſt Procli (*q*) τὰ γένη τῶν δαιμόνων, τὰ μὲν λογικὰ μόνως, τὰ δὲ ἄλογα μόνως, τὰ δὲ μεταξὺ τούτων εἶναι aſſerentis. Ex variis illis inter ipſos Dæmones differentiis varia etiam ipſorum nata ſunt nomina. Utor hac in re teſte idoneo Hierocle; (*r*) ubi *ex medio genere illos qui cœlo proximi ſint angelos, terræ propiores heroes* (forte ab ἔρα, terra) *medios Dæmones appellari* ait. Monet tamen *alios univerſum medium genus, uno nomine generali, vel angelos vocare, vel Dæmones vel heroes*. Quæ omnino Philoſophorum diſcrepantia in nominibus perpetua eſt, multæque ſi non confuſioni, obſcuritati certe & difficultati occaſionem præbet. Sic eo, quod volui prolixe ſatis probato, paucis adhuc, de primo hujus dogmatis & diviſionis autore videbo. *Doctrinam* quidem illam ſicut cætera Græcæ Philoſophiæ a Barbaris cepiſſe initium autumo. Non enim perſuadebit mihi *Laërtius*, quicquid etiam ſcribat apud Græcos antiquiorem eſſe Philoſophiam quam alias gentes. Movent me, quæ de *Magis* Laertius (*ſ*) narrat, quos antiquiores Ægyptiis eſſe ex Ariſtotele refert. *Hi de Deorum locuti ſunt ſubſtantia & ortu, genitosq; eſſe Deos dixerunt*. Quis autem neſcit, Thaletem, Pherecydem atque Pythagoram Ægyptiorum fuiſſe & Chaldæorum diſcipulos? Inſtar omnium locus eſt Plutarchi (*t*) ubi doctrinam de Dæmonibus vel magorum, vel Thracum, vel Ægyptiorum, vel Phrygum eſſe affirmat. *Diviſionem* autem mundi intelligibilis Græcis de-

(*m*) in aur. carm. p. 18.
(*n*) de Myſter. l. 5.
(*o*) Diſſ. XXVI.
(*p*) de def. orac. p. 187.
(*q*) ad Hes. ἔργ.
(*r*) ad aur. carm. p. 41.
(*ſ*) in Procem.
(*t*) de def. or. p. 186.

negare

negare nolo, certe argumenta, quibus denegari poſſit firmiter non video, cum *Thaletem* ejus autorem primum faciat diſerte

(*u*) in leg. p. 25. Athenagoras (*u*). Hoc interim certum eſt pleroſque Philoſophorum in hoc de Dæmonibus dogmate conſenſiſſe, *Epicurum* tamen teſte Plutarcho (*x*) forte & alios paucos negaſſe. Quibus ita præſtructis, ad ipſam tractationem tutiori itinere & magis expedito pergamus.

(*x*) de plac. Phil. l. 8.

§. I.

SI pro conſueto diſputandi ordine *definire*, *quid ſit Dæmon* debeamus, ex veterum quas quidem invenire potui definitionibus, nulla magis placet, quam *Chalcidii* hæc qua *Dæmonem* eſſe dicit: Animal rationabile, immortale, patibile, æthereum, diligentiam hominibus impertiens. (*a*) Alia eſt, quam Tzetzes (*b*) refert, ubi dicuntur ȣ̓σίαι ἀσώματοι, τὰ περὶ γῆν ὁρῶντες καὶ ὑπὸ γῆν. Nemo tamen, qui hanc præ illa ſeligat erit, quippe multo breviorem, nec omnia vel ſaltem præcipua Dæmonum attributa rite explicantem.

(*a*) in Tim. p. 227. Ed. Meurs.
(*b*) in Hes. ἔργ. v. 121. ſq.

§. II.

Ad *Etymologiam* vocis quod attinet duæ potiſſimum ex tribus quas Macrobius (*c*) allegat veroſimiles videntur. Ex plurimorum tam veterum quam recentiorum ſententia δαίμονες dicuntur quaſi δαήμονες a verbo δαίω diſco, doceor. Ipſe Plato (*d*) hoc ἔτυμον ſervat, & Hierocles (*e*) ipſum δαίμονος vocabulum pro ſciente uſurpat, niſi apud illum forte δαήμονας legendum. Sequuntur hanc ſententiam Chalcidius (*f*) Tzetzes item & Moſchopulus (*g*) aliique quamplurimi. Aliter ἀπὸ τȣ̃ δαίειν, i. e. καίειν derivatur, in qua quoque ſententia *Poſſidonius* mihi fuiſſe videtur, dummodo rite verba Macrobii explicentur, quæ ita ſe habent: *aut (ut Poſſidonius ſcribit in libris, quibus titulus eſt,* περὶ ἡρώων καὶ δαιμόνων) *quia ex ætherea ſubſtantia parta atque divi-*

(*c*) Saturn. l. 23.
(*d*) in Cratylo.
(*e*) ad aur. carm. p. 41.
(*f*) in Tim. p. 225.
(*g*) in all. Hes. locum.

diviſa qualitas illis eſt; *ſive* ἀπὸ τῶ δαίειν, i. e. καίειν, ſ. ἀπὸ τῶ δαιομένω, h. e. μεριζομένω. Nempe duabus hiſcé Etymologiis exponit *Macrobius* opinionem *Poſidonii*, qui δαίμονας appellari dixerat, *quia ex ætherea ſubſtantia parta atque diviſa qualitas illis eſſet.* Indigitare hic putat *Poſidonium* *Macrobius* vel ætheris naturam igneam, vel reſpicere ad vocabulum δαίειν in ſignificatu dividendi. Illud potius quam hoc voluiſſe *Poſidonium* mihi fit veroſimile, nimis enim infirma & ad plura extendenda eſſet illa derivatio. Prius illud firmatur, quod *ſpiritus* ſint *Dæmones*, & Hermes (*h*) expreſſe dicat, τὸν νῶν, ὅταν δαίμων γένηται, ΠΥΡΙΝΟΥ τυχεῖν σώματος. Addo & Martian. Capellam (*i*) *qui animum Semideis datum ait exſempiternis* IGNIBUS. Neque hic prætereundum cenſeo Ariſtotelis locum (*k*) qui *quædam animalia ex aqua, quædam ex terra quæ dam ex aëre quædam ex igne conſtare ait.* Hic *magnus Caſaubonus* (*l*) elementarem ignem & ζῶα quæ ex illo naſci dicuntur *Dæmones* intelligit. Me tamen quo minus cum eo ſentiam impedit, quod Ariſtoteles hunc ignem aeri, qui tamen ex Caſauboni ſententia cum eo coincidit expreſſe contradiſtinguat.

(*h*) in Poem. Cap. X. Sect. 21.
(*i*) de Nupt. Philol, L. II. p. 38.
(*k*) de ſpirat. anim.
(*l*) ad Athenæum.

§. III.

Nec ſolum *Dæmonis* voce veteres in deſignandis hiſce ſpiritibus uſi ſunt, verum alii quoque ſunt vocabuli hujus ſignificatus. Primus merito eſt & nobiliſſimus, quo pro *Deo ſummo* uſurpatur *aliisque* etiam *Diis*. De eo inſignis *Orphei* locus apud Proclum (*m*) qui, ἓν κράτος, inquit εἷς ΔΑΙΜΩΝ γένετο μέγας ἀρχὸς ἁπάντων. De hoc teſtatur Plutarchus (*n*) qui *Homerum* ait Deos etiam quandoque δαίμονας προσαγορεύειν. Ubi dignum notatu, quod *Moſchopulus* (*o*) obſervat, Homerum non homines, ſed Deos tantum vocare Dæmones. Quamvis enim ap. eundem (*p*) Ulyſſes uxorem δαιμονίην hæcque ipſum δαιμόνιον vocet, hoc tamen derivatum virtutum magnitudinem reſpicere puto, in quo conſentit mecum Euſtathius (*q*) qui Achillem δῖον χάριν ἀνδρείας, Ulyſſem ob calliditatem appellari ait.

(*m*) in Tim. p. 94.
(*n*) de def. orac. p. 186.
(*o*) ad Heſiod. l. c.
(*p*) Odyſſ. ψ. v. 166. 174.
(*q*) ad Il. α. v. 7.

§. IV.

§. IV.

Notiſſimum porro eſt, *animum humanum Dæmonis* nomine in veterum monumentis inſigniri. Plurima hanc in rem ſunt loca apud *Antoninum Imperatorem* ſæpius τοῦ ἑαυτοῦ δαίμονος mentionem facientem. Huc Epictetum reſpicere
(r) L. I. C. 14. puto in Diſſertationibus (r) ubi quamvis fores clauſæ ſint tenebræque fiant, meminiſſe tamen nos jubet quod non ſoli ſimus, quippe cum ὁ ἡμέτερος δαίμων præſens ſint, cui addi
(ſ) de Deo Socr. p. m. 79. poſſunt Apulejus (ſ) & Jamblichus. (t)

§. V.

(t) Protrept. p. 53. Nec minꝰ apud Græcos Scriptores inſolens eſt uſꝰ vocabuli
(u) Anthol. III. 6. p. m. 125. Ed. Ald. δαίμονος, pro τύχη, *fortuna ſ. eventu rei.* Sic in vet. Epigrammate (u) cujus alii *Callimachum*, *Simonidem* alii autorem volunt,

ΔΑΙΜΟΝΑ τὶς δ᾽ εὖ οἶδε τὸν αὔριον;

(x) Trachin. v. 921. Sic apud Sophoclem (x) nutrix de Deianira Herculem deplorante dicit,

(y) X. 13. Αὐτὴ τὸν αὑτῆς ΔΑΙΜΟΝ᾽ ἀνακαλουμένη.

Huc pertinere arbitror locum Antonini (y) ubi *quemvis conſiderare debere* monet *alios, quales ſe gerant, quæ fugiant, quæ affectent, quæ rapiant, non pedibus nec manibus, ſed præcipua ſui parte, qua fiat, quicquid cupias, fidem, pudorem, veritatem, legem*, ἀγαθὸν ΔΑΙΜΟΝΑ, i. e. ut ego interpretor, *bonam fortunam.* Apoſtolii hac occaſione proverbium
(z) Cent. XIX. 82. notari meretur, (z) ὑμεῖς ΔΑΙΜΟΝΑ αἱρήσεσθε, οὐχ ὑμᾶς ΔΑΙΜΩΝ λήξεται, ubi fallitur interpres, *Vos* DAEMONEM *eligite*, vertens, DAEMON *vos non deſeret.* Τὸ λήξεται enim a λαγχάνω deſcendit, & vertendum eſt: *Vos* DAEMONEM *eligere debetis*, DAEMON *vos non ſortitur.* Δαίμονα hic ΤΥΧΗΝ interpretor, in quo me
(a) Protrept. c. 3. p. 8. confirmat Jamblichus (a) verba quædam *aureorum carminum* ita exponens. οὐδὲν ἄλλο λέγει, ἢ τοῦτο, ὅτι ἡμεῖς τὸν ΔΑΙΜΟΝΑ αἱρούμεθα, καὶ ὅτι αὐτοὶ ἑαυτοῖς ἐσμὲν ἐν ΤΥΧΗΣ τάξει, καὶ ΔΑΙΜΟΝΟΣ.

§. VI.

Pro *heroibus* etiam vocem *Dæmonis* ſumi probo ex
(b) ad aur. carm. verba ἥρωας ἀγαυούς. Hierocle (b) expreſſe dicente, τοὺς δὲ αὐτοὺς (ΗΡΩΑΣ ἀγαθοὺς) καὶ ΔΑΙΜΟΝΑΣ ἀγαθοὺς καλεῖν ἔθος. Quemadmo-

admodum & viceverſa *Heroes* pro *Dæmonibus* uſurpantur, quatenus notant *animam humanam.* De *Stoicis* Laertius (*c*) cum quo conferri poteſt Plutarchus. (*d*) Hi ſunt *aureorum carminum* ἥρωες ἀγαυοὶ, qui medium τῶν λογικῶν ὄσιῶν γένος conſtituere a *Pythagoreis* credebantur. Tandem & ille ſignificatus notandus, quo pro illo ſpiritu, qui poſt vitam male actam angere nos ſolet accipitur. Sic uſum ea voce invenio Proclum (*e*) ubi Muſas implorat, ut ſibi ſacra legenti lucem affundere velint, quo bene noſcere diſcat Deos juxta & mortales.

(*c*) VII. 151.
(*d*) de plac. Phil. l. 8.
(*e*) hymn. in Muſas.

Μὴ δὲ με ληθαίοις ὑπὸ χεύμασιν ἄλλοα ῥέζων
ΔΑΙΜΩΝ αἰὲν ἔχοι μακάρων ἀπάνευθεν ἐόντα.

§. VII.

Is tamen qui maxime ad nos ſpectat ſignificatus eſt *ſpirituum illorum*, quorum in §. I. dedimus definitionem. Explicandaque adeo nunc etiam ſunt illa, quibus alias in veterum ſcriptis Dæmones veniunt nomina. *Aurea carmina* illos, quatenus τῶν ψυχῶν ſignificationem habent δαίμονας καταχθονίους vocant. *Hierocles* explicat τὰς ἀνθρωπινὰς ψυχὰς ἀληθείᾳ καὶ ἀρετῇ κοσμηθείσας. Καταχθόνιος *inferum* notat, adeoque ΔΑΙΜΟΝΕΣ ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙ ſunt *manes*, ſeu animæ eorum, quos beatos eſſe credebant, ſicque notari meretur *Hierocles eas mentes humanas* intelligens, *quæ adhuc in terra verſantur*, quos θεοὺς ἐπιχθονίους a Tzetze (*f*) vocari arbitror.

(*f*) ad Heſiod. l. all.

§. VIII.

Νοεροὺς eos dixit *ſchola Platonica*, quorum vita & beatitudo in contemplatione immutabili τοῦ νοητοῦ ſeu Dei ſummi & veri conſiſtit. Nec ἡμιθέων, quod Latini per *Semones* & *Semideos* expreſſere appellatio ignota eſt, utrumque enim teſtatur Martianus Capella (*g*) *Synonymon* etiam eſſe mihi videtur, cum *Plato* in Epiſtola ad *Hermiam* & *Coriſcum* teſte Stobæo (*h*) mentionem fecit τῶν μελλόντων θεῶν, per quos mentes *intellexit humanas*. *Stobæus* enim

(*g*) de Nupt. Phil. L.II.
(*h*) Eclog. Phyſ. l.1.

addit

addit *μέλλοντας θεὲς* eſſe *τὲς ἀειγενεῖς σωαπτομένες ποτὲ σώματι.*

§. IX.

Quinimo *angelorum* nomen ipſis tributum invenio, quod S. S. Spiritibus Dei miniſtris imponit. Uſurpaſſe hoc vocabulum *Ariſtidem*, *Porphyrium*, *Simplicium* teſtis eſt Mer. Caſaubonus. (*i*) Ipſe Hierocles (*k*) *ἥρωας ἀγαθὲς*, ΑΓΓΕΛΟΥΣ dici aſſerit. Et Chalcidius (*l*) *creatorem omnium & conſervatorem Deum volentem eſſe hominum genus, præfeciſſe his, per quos recte regerentur ANGELOS ſeu Dæmonas*, ſtatuit. Quanquam hujus utpote ſine dubio Chriſtiani teſtimonium non adeo de certitudine rei nos convincat, niſi alia haberemus loca. Huc *Archangelos*, *angelos* & *archontes* Jamblichi (*m*) huc *Φύλακας* ΑΓΓΕΛΟΥΣ Juliani Imperatoris (*n*) huc *ςρατιώτας Platonis θεὲς* (*o*) (quos *Stobæus* ob *ςρατηγίαν τε̃ τῆς γενέσεως πολέμε*, ego ad formam Hebræorum צבאות ita dictos cenſeo) pertinere judico.

(*i*) ad M. Anton. III. 4.
(*k*) ad aur. carm. p. 41.
(*l*) in Tim. p. 226.
(*m*) II. 3.
(*n*) Or. ad S. P. Q. Athen. p. 275.
(*o*) ap. Stob. Ecl. Phyſ. l. 1.

§. X.

Ille in ſpecie ΔΑΙΜΩΝ, qui homini naſcenti tribui credebatur *πότμος συγγενὴς* vocatur Pindaro. (*p*) Quique in certa aliqua regione ſedem habere putabantur, *κατ' ἐξοχὴν ἐνναέται δαίμονες* dicti, cujus rei exempla apud Apollonium proſtant. (*q*) Hos *locales Deos* vel Genios loci, vel municipes Deos *ἰδιοςόλες Plato* vocavit ut monet Porphyrius, (*r*) ubi tamen erraſſe vult *Porphyrium* Cuperus (*s*) cum largior ſit *ἰδιοςόλε* ſignificatus, quippe quod eum indicet, qui ad aliquam rem peculiarem tutandam agendamque miſſus eſt, ut adeo iidem ſint *δαίμονες ἰδιοςόλοι* cum *Diis tutelaribus*, & ad fruges etiam, imbres, cœli ſerenitatem, &c. trahi queant.

(*p*) Nem. Od. 5.
(*q*) Argon. v. 921. 1126.
(*r*) de Abſtin. l. 2.
(*s*) Obſ. III, 16.

§. XI.

Πόπες apud Dryopes eſſe *Dæmones* commemorat Plutarchus. (*t*) *Λειτεργοὶ* etiam hic non prætermittendi, quomodo vocabant *tres munifices ſeu adminiſtros*, qui

(*t*) de aud. Poet. p. 14.

qui Decanis tribuebantur, ut docet nos Salmaſius (*u*). Nam & hos Dæmones fuiſſe alio loco demonſtrabitur. Saluſtius (*x*) ἐγκοσμίȣς θεȣ̀ς habet & ὑπερκοσμίȣς. θεȣ͂ παῖδες ſunt Hierocli (*y*) θεȣ͂ παῖδες καὶ φίλοι Maximo Tyrio (*z*) Quinimo & δαιμόνιον pro *Dæmone* uſurpatum invenio; Ait enim M. Tyrius (*a*) *eſſentiam* τȣ͂ δαιμονίȣ, *ſi debeat eſſe immortale non ſolvi. Deum ſummum* ſignificari eo ex *Demoſthene* probat *Vir quidam hujus Academiæ Celeberrimus in* ſua *de Socratis Dæmonio* Diſſertatione. It. pro *fortuna* adhibitum. Sic enim Pauſanias (*b*) de *Demoſthenis* ſepulchro loquens in eo τὸ ΔΑΙΜΟΝΙΟΝ oſtendiſſe ait, quam iniquum ſit bonis. Notatu hic digniſſimus eſt locus Xiphilini (*c*) ubi horribibiles *Domitiani* epulas deſcribit. *Omnia ad ſepulchrorum formam inſtructa, & pueros etiam nigro colore imbutos ingreſſos eſſe, qui ſpectrorum loco horribili prius ſaltatione hoſpites circumirent, tandemq; ad pedes eorum conſiderent* memorat. *Dimiſſis autem hoſpitibus domum, ſecutos fuiſſe miniſtros Imperatoris, dona ipſis afferentes ſingulis omnes funebris apparatus partes, adeoque & ſuum cuique puerum*, τὰ ΔΑΙΜΟΝΙΑ ἑκάςῳ. Ubi δαιμόνιον & *ſpectrum* poteſt ſignificare & *genium*. Forte enim hi ſibi terrore perculſi apparere ſuos genios mortis nuncios perſuaſerant. Nam & alias ſqualida apparuiſſe forma affatim ex Ammiano Marcellino (*d*) patere poteſt. ΔΑΙΜΟΝΕΣ ἀλάςορες & παλαμναῖοι ſunt apud Plutarchum (*e*) quos ita dictos eſſe addit, ὡς ἀλήςων τινῶν καὶ παλαιῶν μιασμάτων μνήμαις ἐπεξιόντας. Hos præterea & ἰσχυρȣ̀ς vocat & βίαιȣς.

(*u*) de Ann. Clim. p. 552.
(*x*) de DIs & mundo C. 6.
(*y*) ad aur. carm. p. 38.
(*z*) Diſſ. I. p. m. 14.
(*a*) Diſſ. XXVI p. 276.
(*b*) Bœot. c. 37.
(*c*) in Domit.
(*d*) XXI. 14.
(*e*) de Def. Or. p. 188.

§. XII.

Θεοὶ ἀθάνατοι vocantur ſub *aureorum carminum initium*, & θεοὶ quoque abſolute a Platone (*f*) Proclo (*g*) Plotino (*h*) Antonino (*i*) Menandro (*k*) & aliis. Dantur & ἀθάνατοι δεύτεροι ap. M. Tyrium (*l*) & ἀθάνατοι abſolute ap. Apollodorum. (*m*) Ἀεροπόρων θεῶν mentionem injicit *Porphyrius* in explicatione loci cujusdam Orphict apud Euſebium. (*n*) Vocem ΔΑΙΜΟΝΟΣ per θεȣ̀ς αἰθερί-

(*f*) in Tim.
(*g*) Theol. Platon. l. 24.
(*h*) Enn. III. LV. C. VI.
(*i*) XII. 26.
(*k*) ap. Plutarch. Platon. quæſt. 1.
(*l*) Diſſ. 26.
(*m*) Bibl III. 12
(*n*) Præp. III. 9.

(*o*) ap. Origen. VIII. p. 416. Ed. Cantab.
(*p*) in Tim. p. 219.

θεέγες exponit Celſus (*o*) quos *æthereos* DAEMONES nominat expreſſe Chalcidius. (*p*) Hæcque ſunt *Græca* quæ invenire potui nomina, ΔΑΙΜΟΝΟΣ voci *συνώνυμα*. Videamus nunc etiam, quibus Latini vocibus præter DAEMONIS vocabulum uſi ſint.

§. XIII.

(*q*) de Dogm. Platon. p. 42. it. de DEO Socr. p. 79.
(*r*) L. II. 38.
(*s*) in Arnob. L. I. p. 15.
(*t*) de Deo Socr. p. 79.
(*u*) v. Lindenbr. ad Cenſorin. c. 3. & Marm. oxon. p. 43. ſq.
(*x*) Captiv. Act. IV. Sc. 2.

Propria vox qua ΔΑΙΜΩΝ exprimitur, eſt, GENIUS, quod Apuleji (*q*) teſtimonio firmatur. Sic vocatur ille *Dæmon* qui naſcentibus tribuitur ap. Mart. Capellam. (*r*) Hoc vocabulum Græca quoque civitate donatum eſt, ΓΕΝΙΟΝ enim τȣ̃ δήμȣ a *Dione* dici teſtatur Deſid. Heraldus. (*s*) Et ſicut ap. Græcos *mentem humanam* ΔΑΙΜΟΝΑ dictam vidimus, ita eadem GENIUS dicitur ab Apulejo. (*t*) Pro *fortuna* etiam ponitur. Illud enim, quod *Græci* ὀμνύναι τὴν τȣ̃ καίσαρος ΤΥΧΗΝ dicunt, *Latini* per GENIUM *Cæſaris jurare* exprimunt. (*u*) Obſervat hic *Lindenbrogius reges* etiam ſuos a *paraſitis* GENIOS appellatos fuiſſe, hocque probat ex Plauto (*x*) ubi *Ergaſilus* paraſitus *Hegioni* filium ſuum amiſſum reducem nunciat. Verba hæc ſunt.

- - - ER. *Ita me amabit ſancta Saturitas*
Hegio, itaque ſuo me ſemper condecoret cognomine
Ut ego vidi. HE. *Meum gnatum?* ER. *Tuum gnatum*
& GENIUM *meum.*

(*y*) Ep. 12.
(*z*) Phorm. Act. I. Sc. I.

Ubi ego quidem GENIUM *fortunam* interpretor ut cauſa poſita ſit pro effectu. Hac occaſione obiter quaſi notandum, jurare etiam ſolitos per Genium Domini miniſtros, cum Seneca (*y*) *villicum per* GENIUM *ſuum juraſſe* referat. *Appetitum* denique notat vox *Genii*, quod ſatis indicant phraſes *genio ſuo indulgere*, & *genium defraudare* ap. Terent. (*z*)

§. XIV.

(*a*) de die natal. c. 3.

Genium & *Larem* eundem eſſe Cenſorinus (*a*) perhibet teſtem advocans *Granium Flaccum de Indigitamentis.*

LA-

LARES autem vocati ſunt *animi defunctorum*, & quidem in ſpecie illi, *qui poſteriorum ſuorum curam ſortiuntur, quietoque & pacato numine domum poſſident.* (*b*) Illi vero, *qui vagatione in terra ob vitia in vita patrata puniuntur*, LARVAE *dicuntur &* MANIAE. In genere veteribus *Lemures* vocabantur *animæ defunctorum*, quod nomen ſpecialiter etiam pro *larvis* uſurpatum eſt ut Nonius obſervat, (*c*) deinde vero etiam *Manes* pro *Lemuribus* vocabant. (*d*) *Manes* tamen *eas in ſpecie animas fuiſſe* ait *Servius quæ de aliis recedentes corporibus nondum in alia tranſierint*, ut *Martian. Capella Lemures eas modo dictas* aſſerit, *quæ corporibus ſolutæ adhuc in aliis corporibus manent. Præſtes* Genius tutelaris etiam dictus eſt, & *Angelum* poſſe vocari dicit Martianus Capella (*e*) quod tamen uſurpaſſe ſcriptores nondum invenire potui.

(*b*) v. Apul. de Deo Socr. p. 79. & Capell. L. II. p. 40.

(*c*) C. II. in h. v.

(*d*) v. Apul. & Capell. ll. cc. & Serv. ad Aen. III. & VI.

(*e*) L. II. p. 39.

§. XV.

DEI vocati ſunt *Genii*, hucque pertinere puto locum Terentii (*f*) ubi Geta dicit,

Memini me relinqui DEO irato meo.

(*f*) Phorm. Act. I. Sc. 2.

Donatus equidem *Dominum* hic intelligit, ſed minus commode ut puto, ego cum *Eraſmo* potius per *Genium* explico, adeoque eundem eſſe cenſeo cum *Dæmone* ἑτέρῳ ap. *Pindarum*. De Epitheto, *meus* teſtatur *Auſuſtius* ap. Feſtum (*g*) *Genius eſt*, inquit, *Deorum filius & parens hominum, ex quo homines gignuntur, & propterea Genius* MEUS *nominatur.* Habuiſſe veteres & *Deos animales Servius* probat ex *Labeone de Diis* (*h*) quomodo appellatos puto *animas defunctorum*, *Labeo enim animales dictos* ait, *quod de animis fiant.* *Medioxumi* vocati ſunt Dæmones, *tanquam medii inter Deum & homines* (*i*) ſuntque apud *Pythagoricos animæ humanæ.* Cœlicolas autem *aſtrorum numina* dixerunt. Hos *Decanos* nominabant Aſtrologi, qui & ipſi ſunt Græcorum θεοὶ αἰθέριοι (*k*) *Decanos* autem eosdem cum aſtrorum numinibus fuiſſe, probant ea quæ Salmaſ. ex *Porphyrio*

(*g*) in Genius

(*h*) ad Aen. III.

(*i*) Apul. de Dogm. Plat. p. 42.

(*k*) v. Spenc. ad Orig. c. Celſum, p. 416. &

Salmaſ. de ann. Clim. p. 552. & aliis quam plurimis locis.

phyrio notat, *Decanos ſtellarum & Decanorum παρανατέλλοντας habere τὰ πρόσωπα τῶν ἀςέρων*. Ex quibus tamen verbis male Vir magnus concludit ſtellarum imagines habere illos *Decanos*.

§. XVI.

(*l*) Diſſ. I.

(*m*) ap. Clem. Al. Strom. V. p. m. 589.

Natura nunc *Dæmonum* ordine ſic poſcente explicanda venit, quam *ἀφανῆ* dicit M. Tyrius (*l*) nec *Plato* de illa aliquid determinare auſus eſt. (*m*) Quapropter nobis ex variorum ſcriptis eam eruere conantibus, ſi quid erroris commiſerimus eo magis condonabitur. Hic tamen anticipando quaſi monendum, *δαίμονας* quidem & *θεοὺς* eſſe ſynoma, diſtingui vero a quibusdam *Pythagoricis*, imprimis *Jamblicho*. Aſt nihilominus *θεοὺς* quos illi vocant *ἀθανάτους* manere *δαίμονας*, & *δαίμονας* ipſorum medium *λογικῶν οὐσιῶν* genus conſtituentes eſſe *animos humanos* quod docet nos Porphyrius. (*n*) *Jamblichus* vero proprium plane ordinem *Dæmonum* ſtatim poſt *θεοὺς ἀθανάτους* conſtituit, poſt quos ponit *ἥρωας* & tandem *ψυχάς*. *Dæmones* autem ipſi & *Heroes* ſunt ſpecies, *nobiliorum animarum*, connectentium ſummum *θεῶν γένος* & infimum *ψυχῶν ἐπιχθονίων* & *καταχθονίων*. (*o*)

(*n*) de Abſtin. II. 38.

(*o*) v. ipſum de Myſt. I. 5.

XVII.

Obſervanda hic ante omnia eſt diſtinctio illa præcipua inter *bonos* & *malos*, quam cum ex *Dæmonum* natura habuiſſe neutiquam potuerint, neceſſe eſt ut vel ex effectibus cognoverint, vel traditio eam propagaverit. Cognitum vero fuiſſe antiquis etiam temporibus lapſum angelorum, *θεήλατοι καὶ οὐρανοπετεῖς Empedoclis* Dæmones oſtendunt ap. Plutarchum (*p*) Orpheus etiam invocat. (*q*)

(*p*) de vit. ær. al. p. 405.

(*q*) Præf. ad Mus.

ΔΑΙΜΟΝΑ τ' ἠγάθεον, καὶ ΔΑΙΜΟΝΑ ΠΗΜΟΝΑ θνητῶν.

(*r*) de Abſtin. L. II. p 80.

(*s*) S. II. C 7.

(*t*) Orat. II. p. 90.

(*u*) de DIs & mundo c. 12.

Ἀγαθῶν καὶ φαύλων δαιμόνων meminit Porphyrius (*r*) *ἀγαθῶν καὶ τιμωρῶν ἀγγέλων* Jamblichus (*s*) *φαύλων καὶ ἀνοήτων* Julianus. (*t*) *Dæmonas* tamen *malos* non ſtatuere videtur Saluſtius (*u*) putans *ita ortum habere non*

poſſe

poſſe Diis, a quibus tamen ſint omnia. Quod ſuadent etiam Oracula Chaldaica ſequenti verſu,

Ἡ φύσις πείθει εἶναι τοὺς ΔΑΙΜΟΝΑΣ ἁγνοὺς.

Idemque ſtatuiſſe videtur Menander (*x*) ita canens, (*x*) ap. Clem. Al. Strom. V. p.m.610.

- - - - - κακὸν γὰρ οὐ νομιστέον
εἶναι (ſc. δαίμονα) βίον βλάπτοντα χρηστόν.

Ut adeo mirer, viros eruditiſſimos Lindenbrogium (*y*) & Gyraldum (*z*) eum cum Euclide Socratico & Empedocle, qui duplicem ſtatuerunt homini præfectum idem ſenſiſſe affirmare, præſertim cum contradicentem habeant ipſum Plutarchum. (*a*) Annulos quoque certos *malis geniis* pellendis habebant, ut monet Kirchmannnus (*b*) Ἀποπομπῆς autem in genere mentionem facit Antoninus. (*c*) *Manes* ἀγαθοὺς καὶ κακοὺς δαίμονας a *Græcis* dictos perhibet Mart. Capella (*d*) idemque affirmat etiam Servius, (*e*) ubi ſi univerſos *manes* intellexit erraſſe eum puto, quippe qui de ſpecie tantum eorum ſc. l*arvis* & *maniis* illud concedam, cum & *Thales* ipſe *ex ſeparatis animis bonas quasdam, quasdam malas eſſe* docuerir referente Athenagora. (*e*) Referri ad hanc quoque diviſionem debent δαίμων δεξιὸς & ἕτερος. Illum habemus apud Callimachum. (*f*) Δαίμονα δεξιὸν Huetius hic vertit *infauſtum* (*g*) quia apud *Virgilium* ſec. *Servium* & *Philargyrium numina læva* ſint *proſpera.* Ipſe tamen agnoſcit repugnare huic aſſerto *Gellium* atque *Arnobium*, & ſi vel maxime hoc ei largiamur, quod in *Virgilii* verbis locum habeat ea explicatio, rurſus tamen ſuis ipſum verbis jugulabimus. Scilicet fatetur *Perſium lævum* appellare *infauſtum* morem ſecutum Græcorum, ut *Virgilius Romanorum. Callimachi* autem locus, de quo nemini poteſt eſſe dubium potius ex *Græco* quam *Romano* uſu loquendi explicandus, adeoque cum Ill. Spanhemio (*h*) δεξιὸς δαίμων pro ἀγαθῷ habendus eſt. Vix tamen in hoc Viro Celeb. aſſentiri queo, quod de *Diis* videatur locum huncce explicare, adeoque multa diſputet, *num Dii natura ſua ſint benefici, num vero & pœnis afficiant.* Ego enim de *Genio* Poetam loqui affirmare auſim ex adjecto

(*y*) ad Cenſor. c.3.
(*z*) de Diis Synt. XV.
(*a*) περ. εὐθυμ. p.317.
(*b*) de Annul. p. 151.
(*c*) I. 6.
(*d*) L. II. p.40.
(*e*) ad Aen. III.
(*e*) in leg. p.25.
(*f*) hymn. in Cer. v.32.
(*g*) Alnet. Quæſt. p.136.
(*h*) in l. c. Callim.

C δε-

δεξιοῦ Epitheto. Huic contrarius eſt δαίμων ἕτερος ap. Pindarum (*i*) quod recte *Huetius* vertit *adverſarium*. Nam & *veteres Criticos* illud explicaſſe κακοποιὸν obſervat Ill. Spanhemius. (*k*) Mentio hujus fit etiam in Fragm. Callimachi, (*l*) & Epiſtolis Phalaridis. (*m*) Huic reſpondet δαίμων συγγνὸς ap. Sophoclem (*n*) ſupra adductus *iratus* ſervi apud *Terentium Deus*, φοβεροὶ item καὶ φιλάνθρωποι *Tyrii* Dæmones. (*o*)

§. XVIII.

Aliam adhuc apud Philoſophos *Dæmonum* diſtinctionem invenimus, quorum pars ἐμπαθεῖς, pars ἀπαθεῖς illos ſtatuit. Ἐμπαθεῖς dictos fuiſſe a *Theologis* teſtis ſit Porphyrius (*p*) quo in loco *malos* intelligendos eſſe pro certiſſimo habeo. Imo videntur etiam ob *plenitudinem illam omnium rerum creatarum* ἐμπαθὲς τὸ τῶν δαιμόνων γένος ſtatuiſſe. Hanc enim differentiam eorum a Diis facit M. Tyrius (*q*) quod ΘΕΟΙ ſint ἀπαθεῖς καὶ ἀθάνατοι, ΔΑΙΜΟΝΕΣ autem ἐμπαθεῖς καὶ ἀθάνατοι. Qua de re loquuntur etiam Chalcidius (*r*) & Plutarchus. (*s*) Habebant præterea etiam πάθη ipſis aſcripta bona, e. g. quod precibus flecti ſe patiantur, qualia omnino etiam bonis conveniebant, nec pro πάθεσι habebantur. Dicit hinc expreſſe Jamblichus (*s*) *nullum* τῶν κρειττόνων *γενῶν eſſe* ἐμπαθὲς, *neque ita* ἀπαθές, *ut* τῷ παθητῷ *contradiſtinguatur*. Ἀπαθεῖς eſſe τοὺς δαίμονας vult rurſus Tyrius, (*t*) *cum* τὴν οὐσίαν τοῦ δαιμονίου *ſi* ἀθάνατος *ſit* μὴ τρέπεσθαι *nec* μεταβάλλειν *debere* ait. Non tamen huc quis trahat immediate ſequentia, ubi, τὸ δαιμόνιον *ſi ſit anima exuta* corpore *non* πάσχειν *poſſe* ait, hic enim, quod nexus loci docet, πάσχειν pro φθαρῆναι ſumit. Ἀπαθεῖς quoque Deos variis in locis ſtatuit Jamblichus (*u*) Hierocles item (*x*) & Julianus. (*y*) Ob hanc *bonorum Dæmonum* ἀπάθειαν non dubito quin *Jamblichus* de *Pythagora* dicat (*z*) eum ὡς δαίμονα ἀγαθὸν *vitam in Samotriviſſe*. Merito ad hanc *impaſſibilitatem* refero, cum *conſtans* eorum & ἀΐδιος οὐσία dicitur. Sic etenim Jamblichus (*a* ἕνα ὡρισμένον τῆς οὐσίας λόγον περὶ αὐτῶν *ſemper eſſe* dicit, *removendum contra ab iis* τὸ ἀορι-

(*i*) Pyth. Od. 3.
(*k*) l. c.
(*l*) p. 342. Ed. nov.
(*m*) Ep. 12.
(*n*) Elect. v. 918.
(*o*) Diſſ. XXVI p. 270.
(*p*) Ep. ad Anebonem.
(*q*) Diſſ. XXVI p. 272.
(*r*) in Tim. p. 224.
(*s*) de Iſ. & Oſir. p. 267.
(*s*) l. 10.
(*t*) Diſſ. XXVI. p. 276
(*u*) l. 10. 12. 13. 14. 21.
(*x*) p. 13.
(*y*) ap. Cyrill. p. 214
(*z*) in vit. Pyth. L. I. p. 30.
(*a*) l. 3.

ἀόριστον καὶ ἄστατον τῆς ἀνθρωπίνης δόσεως. (ἴσ. Φύσεως) Idem hic dicit pluribus verbis, quod alibi unico, cum ἀΐδιον ipſorum ἐσίαν vocaret. (*b*) (*b*) l. II.

§. XIX.

Nec minus principale eorum attributum ἀγεννησία eſt & ἀφθαρσία, ad quam & pertinet ἀθανασία. *Abſurdum* dicit Jamblichus (*c*) γεννητὲς & φθαρτὲς *vocare Dæmones.* (*c*) III. 22. *Indiſſolubilem eorum ſuperficiem* demonſtrat Chalcidius, (*d*) (*d*) in Tim. p. 227. Ἀθανάτες Ζηνὸς appellat Heſiodus (*e*) Ἀκήρατα τὰ τῶν (*e*) ἔργ. v. 250. δαιμόνων γένη habet Proclus, (*f*) *huncque eorum ſtatum tam conſtantem eſſe* ait, *ut plane non vergant* εἰς τὸ θνητὸν (*f*) Theol. Plat. p. 65. *neque recipiant unquam* τὴν τῶν γινομένων καὶ φθειρομένων φύσιν. Quo & pertinet animæ poſt mortem ἀθανασία a pleriſque Philoſophorum aſtructa. Conſiſtebat ea ἀθανασία *non in duratione ſolum ſempiterna, ſed & ſpirituali vita, rationis participe, mors contra averſio a Deo erat atque* ἄνοια. Obſcurius hoc Jamblichus, (*g*) clariſſime docet (*g*) l. 5. Hierocles. (*h*) Nec tamen ſunt per ſe & ſua natura ἀθάνατοι ſed ex diſpenſatione Dei ſummi ut *Plato* nobis declarat in (*h*) p. 14. *Timæo* (*i*) *Interire* tamen *Dæmonas Heſiodus* affirmante Plu- (*i*) & ex eo Julian. ap. Cyrill. p. 58 tarcho (*k*) *ſtatuit*, probat hoc loco quodam ejus ex Naidis προσώπῳ, quem ſi aſcribam operæ me pretium facturum exi- (*k*) de def. Or. p. 186. ſtimo.

Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη
Ἀνδρῶν ἡβώντων, * ἔλαφος δέ τε τετρακόρωνος·
Τρεῖς δ' ἐλάφους ὁ κόραξ γηράσκεται· αὐτὰρ ὁ φοῖνιξ
Ἐννέα τὲς κόρακας, δέκα δ' ὑμεῖς τὲς φοίνικας
Νύμφαι ἐυπλόκαμοι κῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

* mel. γηρώντων.

Nihil ex his ad nos pertinet, quam quæ de duratione nympharum dicuntur, quibus tamen hoc ipſo *vatem Aſcræum* non certam annorũ ſeriem aſſignare, ſed ἀθανασίαν ipſarũ numero certo pro incerto poſito demonſtrare puto. Sicut nemo ex alio ejusdẽ loco (*l*) ubi τρὶς μυρίες *Dæmones eſſe* dicit, concludere de- (*l*) ἔργ. v. 250. bet, eum præciſe tantum ipſorum numerum ſtatuiſſe, nam indefinite loquitur. Ut adeo non videam, quid cauſæ *M. Tyrium*

 impu-

impulerit, ut ob hunc *Dæmonum* conſtitutum numerum reprehenderit *Heſiodum*. (m) Multo profecto melius hunc locum *Moſchopuli*, *Procli* & *Tzetzis Scholia* explicant. Mortales etiam Dæmones *Aemiliani rhetoris* teſtimonio commemorat Plutarchus, (n) ibi vero non de proprie ſic dictis *Dæmonibus*, ſed de *heroibus* potius ſermo eſt, quod *Panis* adductum exemplum confirmat.

(m) Diſſ. I.
(n) de def. Or. p. 189.

§. XX.

Ut ἀοράτους nunc eos & ἀναισθήτους conſideremus, hujusque rei teſtimonium petemus ex Porphyrio (o) *qui omnes illos inviſibiles ſenſibusque humanis plane non percipiendos* aſſerit. Hincque fluit eos ἀσωμάτους quoque fuiſſe, hanc enim rationem *Porphyrius* ipſe τῆς ἀοράσεως addit, *quod* στερεῷ σώματι *non veſtiantur*, *ſed ſub variis ſpeciebus appareant*. Ζῶα ΑΙΣΘΗΤΑ negat *eſſe* Plotinus (p) *quia nullius* σωματικῆς ὕλης *fiant participes*. Ob ἀορασίαν ἠέρα ἑσσάμενοι dicuntur *Heſiodo* ut *Moſchopulus* & *Tzetzes* explicant. *Aetherei* vero *an a ſede an a corporis qualitate vocentur dubitat* Chalcidius. (q) Huc forte pertinet, quod Jamblichus (r) *admiſceri ipſis* dicat ἀτμοὺς περικοσμίους, nam apud Laertium (s) legimus, *Pythagoram* ſtatuiſſe, *ſuperiorem aera ſemper moveri liquidum & ſalubrem omniaque in eo eſſe immortalia adeoque divina*. Idemque adeo *Jamblichum* cum illis *Philoſophis* veterum ſtatuere puto, *qui ſidera vaporibus nutriri putabant*, ut docet nos incomparabilis quondam Thomaſius. (t) Nec alio intendere Apulejum (u) arbitror cum *ſecundam animantium ſpeciem* quam *Dæmonum* nomine appellat *aeriæ qualitatis* facit. Quisque nunc facile videt ex ἀσωματίᾳ ἀορασίαν quoque poſſe deduci. Nec obſtat quod θεοὺς ἀφανεῖς & ἐμφανεῖς diſtinctos legamus ap. Jamblichum. (x) Nam apud illum θεοὶ ἐμφανεῖς ſunt aſtra, (quæ ἔμψυχα credidere veteres ut eſt ap. Euſtathium) (y) probo hoc ex ipſis Jamblichi verbis, cum ἡνωμένους illos πρὸς τοὺς νοητοὺς θεοὺς vocat, qui ſunt Dæmones illi ſingulis aſtris præpoſiti ut rurſus *Euſtathius* l. c. memorat.

(o) de Abſtin. II. 39.
(p) Enn. III. L. V. C. 6.
(q) in Tim. p. 228.
(r) II. 5.
(s) VIII. 26.
(t) de Stoic. mund. exuſt. p. 72.
(u) de Dogm. Plat. p. 41.
(x) I. 20.
(y) ad Il. a.

Sic

Sic ἐμφανεῖς & ἀφανεῖς θεοὺς vocavit *Plato* teſte Juliano. (z) Ἀφανεῖς autem *Jamblicho* ſunt, qui ὑπερέχουσι λόγον γνώσεως καὶ νοήσεως; eoque ipſo diſtincti ſunt a *Dæmonibus* ἀοράτοις & *ſolis ſenſibus non percipiendis*. Unus adhuc obſtat *Xenocrates Chalcedonius* apud Stobæum (a) qui ὑποσελήνους δαίμονας ὁρατοὺς memorat. Aſt niſi ibi legendum ἀοράτους aut ὁρατάς, certe vel *heroes* intelligit, qui olim inter homines in his terris verſati ſunt, quosque in *ſublunaribus* collocat Mart. Capella (b) vel ὁρατοὺς vocat *Dæmones*, quoniam quandoque conſpectui noſtro ſe offerunt, certa ſortiti corpora.

(z) ap. Cyrill. p. 65.

(a) Eclog. Phyſ. c. 3.

(b) L. II. p. 39.

§. XXI.

Fuerunt hæc maxime præcipua *Dæmonum* attributa, ſunt vero & alia, quæ nunc paucioribus explicare in animo eſt. Sic Proclus (c) *quædam dæmonum genera* λογικὰ μόνως *quædam* ἄλογα μόνως, *quædam* μεταξὺ τούτων ſtatuit. Ex *Jamblicho Proclum* explico (d) qui *quosdam Philoſophos ſtatuiſſe* ait, θεοὺς εἶναι καθαροὺς νόας, *Dæmonas vero* ψυχικοὺς καὶ νοῦ μετόχους. Refutat autem hoc *Jamblichus confuſionemque fieri* ait, *primo inter Dæmones* & ψυχὰς *has enim eſſe* νοῦ μετόχους (ubi obiter noto *Interpretem* minus recte dicere, *animas intellectus etiam eſſe participes*, (νοῦ γὰρ μέτοχοί εἰσιν αὗται) nam de illo *etiam* in Græco plane nihil) *deinde inter* θεοὺς & νοῦν κατ᾽ ἐνέργειαν ἄϋλον, *quippe quo* θεοὶ *ſint ſuperiores*. Arbitror igitur *Proclum*, quosdam *Dæmonas* λογικοὺς, i. e. νοῦ μετόχους, quosdam ἀλόγους, ſeu ψυχικοὺς, quosdam μεταξὺ τούτων, ſeu ψυχικοὺς & νοῦ μετόχους ſtatuere. Hinc eſt, quod Porphyrius (e) dubitet, an non ἴδιος δαίμων ſit μέρος τῆς ψυχῆς. Quo *Thaletis* etiam de Dæmonibus doctrina apud Athenagoram (f) pertinet. Nec abs re hic fore arbitror ſi obſcuram *Procli* doctrinam (g) paulisper explanem, quam ex *Parmenidis* mente proponit, ubi *Dæmones* κατὰ τὸ ΕΝ ΟΝ. τὰ δὲ θνητὰ κατὰ τὸ ΟΝ ΕΝ ὑφίστασθαι ait. In antecedentibus etiam dixerat, *utrumque* & τὸ ΕΝ ΟΝ & τὸ ΟΝ ΕΝ *in ſe continere* ζῶα. Scili-

(c) ad Heſ. Op. I. v. 250

(d) l. 15.

(e) Ep. ad An.

(f) l. ſæp. all.

(g) in Theol. Platon. III. 21.

licet *Parmenidem* ſubtiliſſima hac diſtinctione nil aliud velle arbitror, quam ut diverſo modo conſideret Deum, vel quoad ejus *unitatem*, quæ eſt τὸ ΕΝ ΟΝ, vel quoad ejus *eſſentiam*, quod eſt τὸ ΟΝ ΕΝ. Movet me ut ita ſentiam, quoniam τὸ ΕΝ ΟΝ τῷ ΕΝΙ κατέχεσθαι, τὸ δὲ ΟΝ ΕΝ ἐν τῷ ΟΝΤΙ dicit. Pergit deinde & κατὰ τὸ ΕΝ ΟΝ τὰ πρώτιστα καὶ ὑψηλότατα γένη τῶν θεῶν, κατα δὲ τὸ ΟΝ ΕΝ τὰ δεύτερα καὶ ἀγγελικὴν ἔχοντα τάξιν ὑφιστάναι docet. Hinc deinceps clara fiunt ſequentia ipſius, cum dicit τό ΟΝ ΕΝ *eſſe* τὸ ἀγγελικὸν πέρας τοῦ ΕΝΟΣ ΟΝΤΟΣ τοῦ τοὺς θεοὺς παράγοντος τὸ δὲ ΕΝ ΟΝ τὸ δαιμόνιον ἀκρότητα τοῦ ΟΝΤΟΣ ΕΝΟΣ τοῦ τὰ δεύτερα κοσμοῦντος. Idem alibi etiam dicit hic *Platonis* aſſecla cum δευτέρους *eos* κατ' οὐσίαν τῶν θεῶν καὶ περὶ τοὺς θεοὺς ὑφιστάναι ait. (*b*) Inſigne etiam in iis attributum memorat *Onatus* Pythagoræus, (*i*) *quod bene ducentem ſequi ſoleant*, *quippe qui ſe habeant ad Deum ſummum ut milites ad ducem.* Quinimo τελείαν αὐτῶν οὐσίαν facit Julianus. (*k*) Hæcque adeo ſunt, quæ ad *naturam Dæmonum* pertinere mihi, hocque loco de ea agenti explicanda viſa ſunt, *fontem* igitur nunc etiam & *originem horum ſpirituum* ultimo loco indagabo.

(*b*) l. all. l. 24.

(*i*) ap. Stob. Eccl. Ph. c. 3.

(*k*) in Solem p. 144.

§. XXII.

Ortum a *Diis* habere, omnes quod ſcio agnoſcunt, ſumamus itaque hic loca, quæ maxime explicatione digna videbuntur. Julianus Imperatorum doctiſſimus (*l*) meminit τῶν ἐκγόνων καὶ παίδων τοῦ τῶν θεῶν βασιλέως. *Dæmones* hic intelligi evincunt ſequentia, ubi horum ἐκγόνων *quosdam* σωτῆρας καὶ ἐπικούρους τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, *alios* vero *cultores* τῶν ἀδικημάτων *eſſe* dicit. Per βασιλέα τῶν θεῶν *ſolem* intelligit, quem ipſe ſummo cultu proſequebatur, maximumque inter Deos putabat. Ea propter in *hymno* quem ejus honori ſcripſit vocat *ſolem* βασιλέα τῶν ὅλων, tribuit ei ἡγεμονίαν τῶν νοερῶν θεῶν, & quæ ſunt alia hic prolixe non commemoranda. Hunc tam ſollicitum *ſoli* præſtitum honorem vel ex *Orientali Idololatria*, vel *ex illis apud Romanos temporibus*, quibus in *Helioga-*

(*l*) Or. II. p. 90.

ga-

gabali gratiam omnia ad *Solem* numina referebantur, ut ex *Macrob. Saturnal.* affatim apparet. Et hinc fortaſſe *Phyſici veterum Theologi* deducant, cur *Janus*, quem cum *Sole* pro eodem habebant, primus in quorumvis Deorum ſacris invocatus, *pater* etiam quaſi *Deorum Deus* appellatus fuerit. *(m)* Nemo tamen putare debet *Julianum* eo abſurditatis proceſſiſſe, ut *Solem* quem hisce oculis videmus tantopere honoraret. Indignum hoc plane foret, acutiſſimo ejus ingenio tantaque rerum peritia, *intelligibilem* potius coluit, quem κατ᾽ ἐξοχὴν μέγαν ἥλιον nuncupat, & a Φαινομένῳ diſtinguit, *ortumque* ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ ſeu *ſummo Deo accepiſſe* ait, qui eum ſibi ſimillimum produxerit, imperiumque εἰς τοὺς νοεροὺς conceſſerit. Maxime ad nos pertinet, quod tanquam θαυμαστὴν *Solis* ἐνέργειαν recenſeat τὴν μοῖραν βελτίονα τοῖς κρείττοσι γένεσιν ἐνδιδομένην, h. e. *ſortem illam, qua generavit præſtantiora, ſeu angelos, dæmones, heroes & animas quasdam.* Nempe hic τὸ γένεσιν non conſtruo cum κρείττοσι, quod fecit *Interpres*, mihi *accuſativus* eſt & *generationem* notat. Bene tandem obſervanda ſunt & illa loca, in quibus & Deos iſtos ἀφανεῖς ut *Plato* vocabat ſeu νοητοὺς, qualis *Sol* erat cum *omnibus aſtris* ἀπὸ τοῦ ἀγαθοῦ καὶ δημιουργοῦ deſcendere affirmat, cujus argumenti inſignis locus in ejus apud *Cyrillum fragmentis. (n)* Diu fateor hic hæſimus, ſed quis elegantiorum ſtudiorum amator ſi accuratis *Julianum* doctiſſimum inſpiciat oculis ibi non hæreat? In viam nunc e diverticulo redeamus & cæteros quoque videamus, qui divinam ipſis originem tribuere. In his numeratur *M. Tyrius*, qui θεῶν πολλῶν θεοῦ παίδων meminit, *(o) Alcinous*, cum γεννητοὺς θεοὺς eos vocaſſet θεὸν ipſorum ποιητὴν facit ipſos quoque ejus παῖδες appellat. *(p) A Diis ipſos prodire* indicat, *ſimulque modum hujus generationis* explicat Hierocles *(q)* nempe non ἐκ θνητῆς οὐσίας ſed ἐκ τῆς μονοειδοῦς αὐτῶν αἰτίας *prodire*, οἷον φῶς τῇ οὐσίᾳ τοῦ φωτεινοῦ σώματος σύνδεσμον. Obſcurum in hac materia video *Jamblichi* locum *(r)* dicentis τοὺς ΔΑΙΜΟΝΑΣ κατὰ τὰς

(m) v. Macrob. Saturn. l. 9.

(n) L. II. p. 65.

(o) Diſ. I. p. 5.

(p) Introd. in Phil. Plat. c. 15.

(q) p. 42.

(r) II. 1.

τὰς γεννητικὰς καὶ δημιουργικὰς τῶν θεῶν δυνάμεις, ἐν τῇ πορρωτάτῃ τῆς προόδου ἀποτελευτήσει καὶ τῶν ἐσχάτων διαμελισμῶν παράγεσθαι. His tamen tricis faciliùs expe-
(s) §. 21 diturum ſe illum puto, qui quid ſupra (s) ex *Proclo* protulerimus conſideraverit. Quid enim ἡ πορρωτάτη τῆς προόδου ἀποτελεύτησις δυνάμεων γεννητικῶν καὶ δημιουργικῶν in generatione *Dæmonum* occupatarum, aliud, quam τὸ ἀγγελικὸν πέρας apud Proclum τοῦ ὄντος ἑνός; Et cum
(t) IX. 6. idem Jamblichus (t) τὸν οἰκεῖον ΔΑΙΜΟΝΑ ἀφ᾽ ὅλου τοῦ κόσμου petitum dicit, non loquitur ibi *de mente humana*, quod videri cuiquam poſſit, nam expreſſe removet hoc in ſe-
(u) c. 8. quentibus, (u) ſed de illo *Dæmone* qui ſimul ac naſcimur nobis præponitur μυσταγωγὸς τοῦ βίου. Hunc ἀφ᾽ ὅλου τοῦ κόσμου καὶ τῆς παντοδαπῆς ἐν αὐτῷ ζωῆς, καὶ τοῦ παντοδαποῦ σώματος *venire* ait. Intelligit autem *mundum Dæmonesque in eo viventes, ex quorum ordine erant proprii hi* ἐπιστάται *vitæ humanæ*. Hos ἐν παραδείγματι *præextitiſſe* dicit, *priusquam animæ generatæ ſint*, quod im-
(x) Annot. ad l. c. probat in eo Galeus (x) putans, *eum modo vere dici proprium Dæmonem, qui nobiscum generetur*. Sed conſiderare debebat *Vir doctiſſimus dubium adhuc* dicere Cenſori-
(y) de die natal. c. 3. num (y) *an nobiscum gignatur?* Hucusque varia de *Dæmonum ortu ad Deum referendo maximam partem* audivimus, nunc vero non paucos etiam fuiſſe audiemus, *qui Dæmones ex animis corpore ſolutis fieri* putaverunt. Huc ſtatim cuivis apparet referendos *lares* veterum & *manes*
(z) ad Heſiod. l. ult. cum *Diis animalibus*. Manifeſte Proclus (z) Heſiodi *Dæmones* interpretatur τοὺς μεθισταμένους τοῦ ζῆν. Idem *Thales*, *Pythagoras*, *Plato*, *Stoicique* ſtatuere dicuntur apud
(a) de plac. Phil. l. 8. Plutarchum, (a) idem Chalcidius (b) idem Tyrius (c) do-
(b) in Tim. p. 229. cet. His omnibus (adeoque ſibi ipſi) γεννητοὺς *Dæmones* affirmantibus, contradicere videri poſſet Jamblichus (d)
(c) diſſ. XXVII. p. 277. ἄτοπον eſſe dicens, εἰ ΓΕΝΝΗΤΟΙ εἰσι καὶ φθαρτοὶ οἱ ΔΑΙΜΟΝΕΣ. Ibi tamen *de generatione, quæ modo fit hu-*
(d) III. 22. *mano atque corporeo* eum loqui, apparet exſtatim ſequentibus, ubi *illos* ψυχῆς καὶ τῶν περὶ τοῖς σώμασι δυνά-

μεων

μέων περυφεστικέναι, nec generari ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς σώμασι δυνάμεων asserit. Ut adeo firmum omnino maneat *habere Dæmones ortum & generari*, ſed ſublimiori longe modo, quam qui aliquid cum humana generatione commune habeat.

§. XXIII.

Sedem Dæmonibus varii variam aſſignarunt, quæ ut plurimum varietas ex diverſis *Dæmonum* claſſibus orta videtur. Evincit hoc clariſſime locus Martiani Capellæ, (*e*) apud quem *Juno Philologiæ* deſcribens ſedes numinum, inter alia dicit: *Eos, qui ignitæ ſubſtantiæ flammantisque ſuſpiciantur ab ipſo æthere ſphæræque ſuperioris ambitu usque ſolarem circulum demeantes dici Deos & cœlites alias perhiberi, inter Solis vero meatum usque lunarem globum ſecundæ beatitatis numina ſubparisque potentiæ. Hic Lares degere, animasque puriores, quæ etiam, ſi meritorum excellentia ſubvehantur, circulum ſolis & flammantia ſepta tranſiliant.* Quibus ultimis verbis nihil profecto aliud indicat, quam variis in locis, præcipue ab Hermete (*f*) tam ſæpe jactatam animæ εἰς τὸ κρεῖττον, εἰς ΔΑΙΜΟΝΑ μεταβολήν. Meminit Apulejus (*g*) *Deorum cœlitum, quos Deos etiam immortales* vocat, *his cœlum* dicavit *majeſtate eorum ita poſtulante*. Sunt autem hi iidem, cum iis, quos alibi (*h*) *cœlicolas* appellat, *eosque aſtris* tribuit. Concludo hoc exinde, *quod utrosque immediate poſt ſummum Deum* collocet, inque priori loco dicat, *ex cœlitibus alios viſu uſurpari, alios intellectu veſtigari, ac viſu quidem cerni*

- - - - - Vos o clariſſima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum.

Quid hic aliud, quam *aſtra intelligibilia & viſibilia* indicaſſe poteſt. Accedit & illud, quod a *Xenocrate* apud Stobæum (*i*) *aſtra* ὀλύμπιοι θεοὶ appellentur quod clarius etiam exponit Romanorum doctiſſimus *Varro* apud Auguſtinum. (*k*) Cum mentio hic inciderit *Dæmonum Sidereorum* non prætereundum arbitror *Jamblichi* locum quendam (*l*) ita conceptum: Καὶ μετὰ τῶν θεῶν τὸν πυθαγόραν

(*e*) L. II. p. 38. 39.
(*f*) in Poem.
(*g*) de DEO Socr. p. 69.
(*h*) de Dogm. Plat. p. 42
(*i*) Eclog. Phyſic. c. 3.
(*k*) de C. D. VII. 6.
(*l*) de vit. Pyth. l. 6.

γόρων λοιπὸν κατηρίθμουν, ὡς ΑΓΑΘΟΝ τινα ΔΑΙΜΟΝΑ καὶ φιλανθρωπότατον. Οἱ μὲν τὸν πύθιον, οἱ δὲ τὸν ἐξ ὑπερβορέων Ἀπόλλωνα, οἱ δὲ τῶν τὴν σελήνην κατοικούντων ΔΑΙΜΟΝΩΝ ἕνα. Dupliciter hic vox Dæmonis accipitur, & primo quidem *pro Diis* quod Apollines varii demonſtrant, deinde *pro Dæmonibus inferioribus & proprie ſic dictis*, ubi puto *Pythagoram* ab illis hominibus vel pro φύλακι ἀγγέλῳ e Luna, (quorum Julianus *(m)* meminit) habitum, vel, quod probabilius mihi videtur (cum uni aſtro plures uno Dæmones tributos non inveniam) verbum κατοικούντων explicandum eſt, per *adhibitare*, vel *ſubhabitare*, ut eum adeo pro *Dæmone* habuerint, qui vel *circa Lunam* vel *in ſublunari regione* habitabant. Ad *Apulejum* nunc revertendum, qui eosdem, qui ipſi ſunt *cœlicolæ* & *cœlites ſecundæ* etiam *providentiæ* nominat (*n*) cum *Deo ſummo primam providentiam* competere dixiſſet. Quos deinde Capella *ſecundæ beatitatis* numina dicit, hos Apulejus (*o*) ait, *divinas eſſe medias poteſtates inter ſummum æthera & infimas terras in iſto interſiti aeris ſpatio, quos* ΔΑΙΜΟΝΑΣ *Græci nuncupent.* Convenit cum his Euſebius (*o*) *qui ex Græcorum Theologia, Diis æthera, ſeu cœlum usque ad lunam, Dæmonibus regiones circa lunam, ſeu aerem, animabus vero circa & ſub terra aſſignari* refert. Nec aliud puto ſenſiſſe *Pythagoram* (*p*) qui totum aerem plenum animabus cenſuit. Maxime vero notabilis Xiphilini locus (*q*) ubi de miraculo fulminatricis legionis loquens, *Dionem dicere* narrat, *Anuphin magum quendam Ægyptium invocaſſe & alios Dæmones & nominatim* Ἑρμῆν ΑΕΡΙΟΝ, *ut hac tempeſtate Germanorum exercitum delerent.* *Philonem* adhuc allego & *Porphyrium* quorum ille (*t*) *eos, quos Philoſophi Dæmones Moſes angelos vocet* ψυχὰς *eſſe* dicit ἐν ΑΕΡΙ πετομένας, qui locus alia ejusdem explicat e. g. cum *aerem* ψυχῶν ἀσωμάτων οἶκον vocat (*s*) & *Deum in aere* δυνάμεις αἰσθήσει οὐδαμῆ οὐδαμῶς καταλαμβανομένας creaſſe narrat, (*t*) *Porphyrius* autem apud Euſebium (*u*) ἀεροπόρους θεοὺς diſerte nominat, idemque ſenſiſſe affirmare auſim non *Anaxime-*

(*m*) ad S. P. Q. Athen. p. 275.

(*n*) de dogm. Plat. l. c.

(*o*) de Deo Socr. p. 73. 74.

(*p*) ap. Laert. VIII. 32.

(*q*) p. m. 366.

(*r*) de Gigant. p. 285.

(*ſ*) de Somn. p. 586.

(*t*) de Plant. Noæ p. 216.

(*u*) Præp. III. 9.

nem

nem ſolum & *Boethum*, quorum ille *aerem*, hic *ætherem* Deum dixit, ſed & Anaximandrum qui *cœlos* pro Diis habuit, teſte Stobæo. (*t*) Hoc tandem ſibi vult Hermes (*a*) cum δαιμόνων χορὲς non procul a θεοῖς ἀθανάτοις conſtituit. Inventi autem etiam ſunt, *qui ubique in hoc univerſo diſperſos eſſe Dæmones* affirmarent, quorum facile princeps *Thales* de quo ſupra ex *Laertio* vidimus, nunc & *Stobæum* (*b*) addo. Hæc *Alcinoi* mens eſt, *in ſingulis elementis Dæmones eſſe* ſtatuentis. (*c*) Præcipuus hac in re locus eſt Jamblichi, (*d*) qui quærenti *Porphyrio*, *unde cum Dii in cœlo tantum habitent, invocationes tamen ad terreſtres & ſubterraneos inſtituantur?* reſpondet, *Falſum eſſe, quod Dii in cœlo tantum habitent*, πάντα γὰρ αὐτῶν εἶναι πλήρη. Videt tamen hic ſibi objicere *Porphyrium*, *unde alii aquei dicantur, alii aerei, quomodo alii alios ſortiti ſint locos, & corpora cum circumſcriptione, & tamen potentiam infinitam & indiviſibilem poſſideant?* His tamen omnibus, ut verum maneat Deos ubique eſſe reſpondet: *Deos ſi partes quasdam univerſi hujus ſortiantur, concurrere exterius ſolum irradiando quaſi, quemadmodum lumen corporibus illuminandis concurrit.* Quæ præmittenda mihi fuerunt, ut hinc ii explicentur, qui variis ipſos locis aſcribunt, e. g. cum Moſchopulus in Heſiodum (*e*) dicit, *eas* πανταχȣ̃ κατὰ τὴν γῆν ςρέφεσθαι, & quidem ut alio loco deducit (*f*) ἐν παντὶ μέρει. Præcipue *Orpheus* hinc illuſtratur in *Præfatione Poematum ſuorum* invocans,

> ΔΑΙΜΟΝΑΣ ȣ̓ρανίȣς τε καὶ ἠερίȣς καὶ ἐνύδρȣς
> Καὶ χθονίȣς, καὶ ὑποχθονίȣς, ἠδὲ πυρὶφοίτȣς. *

(*z*) Eclog. Phyſ. l. 1.
(*a*) Poem. XVI. 8.
(*b*) Eclog. Phyſ. l. 1.
(*c*) Introd. in Phil. Plat. p. 492.
(*d*) l. 9.
(*e*) v. 121.
(*f*) ad v. 250.
* al. περιφοίτȣς.

§. XXIV.

Atque hæc ſunt, quæ huic *priori Diſſertationi* ſuffectura puto, in *poſteriori* me adhuc *potentiam Dæmonum officia & operationes*, *apparitiones* item & *cultum* explicaturum promittens. Cæterum penes B. L. & quemvis eruditum vanis cavillationibus non deditum, de hoc noſtro labore eſto judicium, in quo ſi quid erroris commiſimus, conatum tamen qui vis bonus laudabit, & creſcente facultate meliora quoque ſperabit.

ΤΕΛΟΣ ΚΑΙ ΔΟΞΑ ΤΩΙ ΤΡΙΣΜΕΓΙΣΤΩΙ ΔΑΙΜΟΝΙ.

COROL-

COROLLARIA.

I.

In loco Act. VII. 54. per ἀγγέλων διαταγὰς intelliguntur *conſtitutiones humanæ doctorum populi Judaici.*

II.

Gallion præfectus non culpandus, quod Judæos à tribunali repulerit.

III.

Cl. Salmaſius in libro *de Fœnore Trapezitico* indigna tanto Viro argumenta, proſtabilienda ſua de ἄρτῳ ἐπιουσίῳ hypotheſi in medium profert.

IV.

Græci Philoſophiam ab Aegyptiis aliisque Orientalibus accepere.

V.

Chaldæi primi animæ immortalitatem docuere.

VI.

Doctiſſimus Witſius in Aegyptiac. L. II. C. 15. §. 4. male refutat *Herodotum*, cum hujus primo error non tantus ſit, quantum ipſe facit, deinde & Vir inſignis ſuam ſententiam male probet.

VII.

Quod ad Græcorum Philoſophorum de animæ immortalitate ſententias attinet, inter *Thaletem*, *Pherecydem* & *Pythagoram*, Thaleti primas defero ſecus ac *Erud. Menagius*, qui de *Pherecyde* illud conſtare ait.

VIII.

Reminiſcentia animæ poſt mortem denegari nequit.

IX.

In loco Act. XII. 15. per ἄγγελον Petri, *Genius ejus* intelligitur.

X.

Ex lumine naturæ Angelos agnoverunt gentiles.

S. D. G.

(o)

2

Secunda Pars

Q. D. B. V.

DISSERTATIO PHILOLOGICA SECUNDA

DE

DÆMONIBUS,

QUAM

INDULTU

AMPLISS. FACULT. PHILOSOPHICÆ

IN VICEM PRIORIS

PRO LOCO

D. XXIX. OCTOBR. ANNO M DCC VII.

DEFENDET

M. JUSTUS GOTTHART RABENER,

LIPSIENS.

LIPSIÆ,

LITERIS CHRISTIANI GOEZI.

2.

B. C. D.

§. I.

CUm ante hoc annuum & quod excurrit ſpatium, *Thema Philologicum de Dæmonibus ex Theologia veterum gentilium* publicæ ventilationi expoſuerim, quibusdam vero ſolum partibus abſolutis reliquas quoque in lucem edere promiſerim, non potui non occaſione adeo promta ſe offerente promisſis meis me ſolvere. Adeoque hac Diſſertatione, *de potentia, operationibus, apparitionibus* & *cultu Dæmonum* dicta quædam B. L. inveniet, ad quorum tractationem ſepoſitis ambagibus nos accingemus.

§. II.

Potentiam Dæmonum dubiam quidem facit *M. Tyrius*,(a) alii tamen varia de ea ipſa tradiderunt. Conſulamus *Jamblichum* (b) prolixe loquentem his verbis, *τίθεμαι τὸ δαιμόνιον γένος ἐν τῷ ἑνὶ πληθυόμενον, καὶ συμμιγνύμενον ἀμιγῶς, καὶ τ' ἄλλα πάντα τὰ καταδεέστερα κατὰ τὴν τοῦ βελτίονος ἰδέαν κατειληφός.* Principium hujus loci ad nos equidem non pertinet, niſi quod obiter ſit monendum, minus recte Interpretem hæc verba *ἐν τῷ ἑνὶ πληθυόμενον* vertere *multiplicari ſed non unite*, præſertim cum *πληθύειν* minime bene tamen *πληθύνειν* *multiplicationem* indicet. Arbitror potius latere ibi veſtigia eorum quæ *Proclum* *περὶ τοῦ ὄντος ἑνός*, & *ἑνὸς ὄντος* docuiſſe Diſſertatione priori (c) tradidi. Vertendum itaque, *Dæmones ἐν τῷ ἑνὶ contineri.*

(a) Diſſ. I. p. 1.

(b) de Myſter. S. I. 6.

(c) §. XXI.

Sed

Sed ut in viam redeamus, *magnam à Jamblicho* tributam *Dæmonibus potentiam* videmus. Dicuntur enim *omnia inferiora continere*, & quidem κατὰ τὴν τοῦ βελτίονος ἰδέαν, i. e. *eo modo, quo ipſi* ἐν τῷ βελτίονι, (ſive τῷ ἑνὶ) *continentur*. Id, quod ἰδέαν vocat *Jamblichus, Juliano* hinc inde (d) eſt παράδειγμα τοῦ ἀγαθοῦ. Commode hic memoro, quod alio loco tradit *Jamblichus*, (e) *eum, qui nobis tribuitur Dæmonem, non unam aliquam partem regere, verum* πάντων ἅπαξ ἁπλῶς ἡγεῖσθαι quo ſimul in loco animadverto, ipſum *malis Dæmonibus plane nullam tribuere* ἡγεμονίαν, *imò pro tam indignis habere, ut ne quidem merito bonis opponantur. Idem* alibi (f) *fortiter adeo res ſibi creditas eos defendere* affirmat *ut ne quidem verba contra illas inimica proferri patiantur.* Δυνάμεις etiam *ipſis* γονίμους *tribuit*, (g) quæ quales ſint in operationum explicatione ulterius deducetur. *Nihil præ illis ſecreti eſſe vel intra animam vel foris* aſſerit *Apulejus.* (h) Argumentum ipſorum *potentiæ* præbet etiam *Ariſtophanes* (i) ſervum eos velut adjurantem inducens, his verbis

d) Orat. in Sol.
e) S. IX. 7.
f) S. VI. 6.
g) S. II. 1.
h) de D. S. p. 80
i) Plut. Act. I. Sc. 2.

Ὦ Φοῖβ᾽ Ἄπολλων, ὦ θεοὶ καὶ ΔΑΙΜΟΝΕΣ.

Imo *in publico jurejurando invocatos ab Athenienſibus* ex *Ariſtophane, Platone & Æſchine* teſtatur *Huetius.* (k) Quo forte trahendum *Homericum* illud (l)

k) Qv. Alnet. II. 4.
l) Od. o. v. 261.

Λίσσομ᾽ ὑπὲρ θυέων καὶ ΔΑΙΜΟΝΟΣ.

Orpheus tandem (m) vocat *Dæmonem* μεγαλανήγήτορα Φρικτὸν & παμβασιλέα. Quæ ſatis de *potentia* eſſe posſunt, quippe quæ magis magisque in ſequentibus ſe exhibebit.

m) Hymn. εἰς Δαίμονα.

§. III.

Largam nunc *operationes Dæmonum* atque *officia* deſcripturi habebimus meſſem, nec minus, ut ſpero, largam quam jucundam. Obſervamus igitur primo loco, *futura prædicendi vim* ipſis aſcriptam, cujus rei nos admonet *Porphyrius*, (n) qui *vates ipſos non diffiteri* dicit *ſe per* θεοὺς *vel* ΔΑΙΜΟΝΑΣ *futurorum cognitionem nanciſci.* Hinc eſt quod ἀφανῶν ἄγγελοι dicantur *M. Tyrio.* (o) Clariſſime omni-

n) Ep. ad Anebon.
o) Diſſ. XXVI. p. 270.

omnium *Plutarchus* (p) loquitur, *qui omnia vaticinia divina eſſe* ait, *non tamen ad* τὸν θεὸν *ſive ſummum illud ens referenda, ſed ad* λειτουργοὺς, ὑπηρέτας & γραμματεῖς, *qui ſint Dæmones.* Cui non contradicit *Proclus* (q) ſcribens, τὴν ΜΑΝΤΙΚΗΝ ἄλλην ἀπὸ τῶν ΘΕΩΝ καθήκουσαν, ἄλλην ἀπὸ τῶν ΔΑΙΜΟΝΩΝ, cum & ipſe de ſummo ente nihil dicat, verum diſtinctius ſaltem *Plutarcho* loquatur, & quos ille uno generali nomine δαίμονας dixerat, θεοὺς καὶ δαίμονας appellet. Quapropter & *Porphyrius* in libro, quem περὶ τῆς ἐκ λογίων Φιλοσοφίας ab *Euſebio* (r) ſcripſiſſe memoratur, collectionem fecit oraculorum Apollinis, aliorumque Deorum & ἀγαθῶν ΔΑΙΜΟΝΩΝ. *Inſpirationes* eorum habet *Jamblichus*, (s) nec mirum ſi in hoc diſcipulus præceptorem, Pythagoreus ipſum *Pythagoram* ſecutus eſt, de cujus ſententia clarus eſt locus *Laertii*, (t) eum ſtatuiſſe narrantis, *immitti nobis à* Dæmonibus *ſomnia, ſigna item morborum & ſanitatis, imo non nobis ſolum, verum etiam brutis animantibus. Quin & ad* Dæmones *omnes referendas eſſe divinationes, omnia vaticinia.* Accedit apertus *Apuleji* (u) locus, quem cum alia ſcitu digna contineat totum apponam. *Eorum quippe de numero* inquit *prædicti curant ſingula eorum provide, ut eſt cuique tributa provincia, vel ſomniis confirmandis, vel extis phyſiculandis,* (x) *vel præpetibus gubernandis, vel oſcinibus erudiendis, vel vatibus inſpirandis, vel fulminibus jaculandis, vel nubibus coruſcandis, cæterisque adeo per quæ futura cognoſcimus.* Ex quibus verbis manifeſtum eſt, ad ſingulas prædictionum ſpecies concurriſſe *Dæmones.* Quo referendæ etiam νυμφοληψίαι, de quibus *Jamblichus* (y) & *Longus in Paſtoralibus* paſſim nos docent. Hinc ὀνειροπομποὶ iidem & πάρεδροι indicante *Juſtino M.* vocabantur. (z) In hac porro claſſe tantum non omnia gentilium *oracula* jure numerantur. Delphici certe illius celeberrimi vim expreſſe *ſpiritui terræ* (ἥρωϊ dicerent Græci) tribuit *Cicero.* (a) Ii tandem huc pertinent ſpiritus, quos ſagæ ut reſponſa darent, evocabant, de quibus *Horatius* (b)

p) de def. Orac. p.m. 187. b.
q) in Tim. L. I. p. 49.
r) Præpar. IV. 6
s) S. I. 5.
t) VIII. 32.
u) de D. S. p. 74
x) al. fiſſiculandis.
y) S. III. 10.
z) Apol. II. p. m. 65. a.
a) de Divin. L. I.
b) L. I. Sat. 8.

cruor in foſſam confuſus ut inde MANES *elicerent* ANIMAS RESPONSA *daturas.*

§. IV.

Nec minus celebre *officium Dæmonum* eſt, *quod certis rebus præpoſiti easdem tueri dicantur.* Habent autem in tutela *urbes atque gentes*, quos gentium tutelares *Dæmones* ab aſtris ſumtos *Arcturus* declarat apud *Plautum.* (c) Inſtruit nos de iis *Porphyrius*, (d) qui *quosdam ex Dæmonibus* κατὰ ΚΩΜΑΣ ἤ τινας ΠΟΛΕΙΣ ὀνόματος καὶ θρησκείας τυγχάνειν dicit; Cui ſimilis eſt *Origenis* locus (e) καὶ οὕτως εὑρεθήσεται τῶν ἐπὶ γῆς ΔΑΙΜΟΝΩΝ λαχόντων διαφόρους ΤΟΠΟΥΣ φέρεσθαι τὰ ὀνόματα οἰκείως ταῖς κατὰ ΤΟΠΟΝ καὶ ΕΘΝΟΣ διαλέκτοις. *Nomina* vero iſtorum *Dæmonum* ſeu *geniorum urbis tutelarium* ſollicite tecta, ne in vulgus emanarent, quo minus evocari ab hoſtibus poſſent, id quod de *Romæ genio Servius* (f) memorat; unde apud *eundem* in *Fragmentis* GENIUS P. R. SIVE MAS, SIVE FOEMINA. Hi erant, quos *Genios loci* tot antiquarum Inſcriptionum appellant; Nam ut rurſus *Servius* (g) ait: *Genium dicebant antiqui natalem DEum uniuscujusque loci, vel rei, aut hominis.* Hi ſunt ἐθνάρχαι & πολιοῦχοι θεοὶ *Juliani* (h) θεοὶ κτήσιοι *Dionyſii Halicarnaſſ.* (i) quos cum ἑστία πατρῷα καὶ ΔΑΙΜΟΣΙ τὸν τόπον κατέχουσι conjungit. Hi ſunt *Jamblichi* (k) κοινοὶ προστάται διακληρωθέντες καθ' ἕκαστον ἔθνος τῶν ἐπὶ γῆς.

c) Rudent. Prolog.
d) de Abſtin. L. II. p. 81.
e) adv. Celſ. L. I. p. m. 19. Ed. Hœſchel.
f) ad Æn. I. v. 281.
g) ad Georgic. 1.
h) ap. Cyrill. L. IV p. m. 115.
i) L. IIX. Antiqv.
k) S. V. 25.

§. V.

Hinc paſſim apud Scriptores DEos illos gentium tutelares videmus memoratos. Egregius hac de re locus eſt apud *Minut. Felicem*; (l) *Per univerſa*, inquit, *imperia, provincias, oppida, videmus ſingulos ſacrorum ritus gentiles habere & DEOS colere MUNICIPES, ut Eleuſinios Cererem, Phrygas matrem, Epidauros Æſculapium, Chaldæos Belum, Aſtarten Syros, Dianam Taurios, Gallos Mercurium, univerſa Romanos.* De Romanis equidem novimus, eos tantum non omnium devictarum gentium

l) in Octav.

DEOS

DEOS ſibi quaſi vindicaſſe eosque coluiſſe, unde *Prudentius* (m)

In numeros poſt deinde DEOS virtute ſubactis
Urbibus & claris peperit ſibi Roma triumphis.

Aſt habebant etiam, quos præ aliis ſingulari honore afficerent. Erant hi *Jupiter Capitolinus*, *Juno atque Minerva*, quorum nomina in invocationibus paſſim apud *Livium* conjuncta videmus, quique in Capitolio σύνναοι fuerunt, adeoque ἐν τῇ ἀκροπόλει culta, ubi collocanda Deorum loci tutelarium templa monet *Vitruvius* (n) ſicut & in nummis variis ſimul expreſſa eorum ſimulacra invenias apud *Juſt. Rycquium.* (o) Nullum vero ex ante dictis eſt dubium, quin præter hos & præter *Penates* etiam ſeu *Cabiros* peculiarem aliquem *Genium* habuerint, cujus nomen adeo ſtudioſe occultabatur. Nec obſcure *Minervam* fuiſſe urbis tutelam colligas ex *Juliani* (p) verbis, qui cum dixiſſet, *Martem in gentibus ſibi ſubjectis bellicoſa*, *Minervam prudentia belli conſilia*, *Mercurium ſapientiam*, & *quemvis DEUM ſuæ naturæ convenientia excitare*, *hinc eſſe* pergit, *quod Celtæ & Germani ſint bellicoſi* (quippe quorum Mars erat Deus) *Græci & Romani bellicoſi ſimul & humani* (de iis Minervam coluiſſe certum eſt, de his hinc colligitur) *Syrus autem imbellis & deliciis deditus*, (Venerem enim hi aliaque fœminini generis numina colebant). In hoc me confirmat, non ſolum, quod Palladium antiquiſſima Trojæ tutela ab Ænea in Italiam ut conſtans opinio tulit allatum fuerit, verum vel maxime antiqui Romanorum nummi, ubi quam ſæpiſſime Veſta Palladium manu tenens occurrit, quales exhibet Vir & dignitate Illuſtris & doctrina *Ezech. Spanhemius*; (q) Ex quibus apparet repoſitum hoc ſimulacrum fuiſſe in Veſtæ penetralibus ibique cultum, quo facit & *Philoſtrati* locus (r) ab *eodem* jam adductus, ubi de tribus Veſtalibus a Domitiano multatis loquitur, ἃς ἁγνὰς τὴν ΠΑΛΛΑ ΑΘΗΝΑΝ καὶ τὸ ἐκεῖ πῦρ θεραπεύειν ἔδει. Obſervamus ſimul ignem illum perpetuum non tam in Veſtæ quam in Palladis honorem arſiſſe ex *Propertio* (s)

m) contra Symm. L. II. v. 346. conf. L. I. v. 290.

n) l. 7.

o) de Capitol. c. 13.

p) ap. Cyrill. L. IV. p. 115. ſq.

q) Diſſ. de Veſta & Prytanibus.

r) Vit. Apollon. VII. 3.

s) IV. 4.

Veſta Iliacæ felix tutela favillæ.

t) Num. Impp. p. 74. Proſtat & nummus Claudii apud *Patinum* (t) hinc *Claudii* & *Auguſti*, altera parte θεᾶς Ῥώμης & ἱερᾶς συγκλήτου *capita* referens, in quorum medio ſtat *Minerva* ſub cujus pedibus legitur ΙΛΙ. Hiſce jam conſignatis idem mecum ſentire ſententiamque meam ex *Servio* præterea & *Lampridio* firmare video *Ill. Spanhemium* (u) cujus tanta apud me & omnes bonos eſſe debet autoritas, ut invictum inde robur opinioni meæ acceſſiſſe non ſine cauſa judicem.

u) ad Callim. p. 573.

§. VI.

Locum etiam quendam hic ſibi vindicant *averrunci* gentium *Dii*, de quibus credebant poſſe eos avertere pericula imminentia. Sic enim Varro (x) *A vertendo averruncare, ut* DEUS *qui iis rebus præeſt* AVERRUNCUS. *Itaque ab eo precari ſolent ut pericula avertat.* Mitto hic Thracum atque Illyriorum argenteas ſtatuas adverſus barbarorum incurſiones in finibus poſitas *Olympiodoro* (y) memoratas, mitto & Zabiorum aureas. Mitterem & *Teraphim* plane niſi inſignis hanc in rem locus eſſet apud *Pſeudo Juſtinum* (z) quem non ſatis cepit *Interpres*. Quæritur ibi: Εἰ θεός ἐστι δημιουργὸς καὶ δεσπότης τῆς κτίσεως, πῶς τὰ Ἀπολλωνίου ΤΕΛΕΣΜΑΤΑ ἐν τοῖς μέρεσι τῆς κτίσεως δύνανται. Non perſpexit *Interpres*, quid ſint τελέσματα, adeoque obſcuro vocabulo tranſtulit *effectus*. Verum ex reſponſione ad hanc quæſtionem ubi mentio fit δαίμονος ἐν τῷ ἐκείνου ἀγάλματι ἱδρυμένου apparet, fuiſſe imagunculam, magica arte ad ſiderum motum confectam, quales Arabibus voce cum Græca ſatis conveniente vocantur *Talisman*. Quæ propterea etiam fuere memoranda, quoniam fruſtra in Lexicis vulgaribus vocem τελέσματος & ἀποτελέσματος (quam idem Autor in reſponſione habet) eo ſignificatu quæras.

x) de L. L. L. VI. p. m. 81. Ed. H. Stephan.

y) ap. Phot. Cod. 80.

z) Qv. ad Orthod. 24.

§. VII.

Hi *averrunci Dii* apud Græcos ἀλεξικάκους, ἀλεξιτηρίους, σωτῆρας pariebant. *Jupiter* ἀλεξιτήριος *Thebis* cultus ut ex Æſchylo (a) *ejusque Schol.* liquet. *Hercules*

a) Sept. Theb. v. 8.

les ἀλεξίκακος apud *Clem. Alexandr.* (b) *Minerva* Σώτειρα appellata *Athenarum præſes*, ut patet ex *Lycurgo Oratore* (c) & præterea ex *Ariſtophane* (d) ubi myſtarum chorus:

ἄειδε τὴν ΣΩΤΕΙΡΑΝ γενναίως
τῇ φωνῇ μολπάζων
ἣ τὴν χώραν ΣΩΖΕΙΝ φήσ᾽ ἐς τὰς ὥρας.

Nec prætereundus facile Ἀγυιεὺς *Apollo*, qui *Euſtathio* referente (e) ante portas ὡς ἀλεξίκακος cultus eſt. Ἀγυιεὺς dicebatur, ab ἀγυιὰ, quod *vicum* denotat, quia publice in viis colebantur, ut *Hecate*, *Mercurius*, aliique *viales Dii*. Huic *Apollini* Ἀγυιεῖ ante fores domuum erigebatur aliquid Ἀγυιεὺς etiam dictum. Illud *aram* præ foribus ſtantem & columnæ formam habentem *Cratinus* & *Menander* ab *Harpocratione* adducti (f) ſtatuunt, quibus favere videtur *Sophocles* (g) ſcribens,

Λάμπει δ᾽ ΑΓΥΙΕΥΣ ΒΩΜΟΣ ἀτμίζων πυρὶ
Σμύρνοις ςαλαγμοῖς, βαρβάρων εὐοσμίαις.

Harpocration tamen ſimpliciter de *columna Apollini huic ſacra* explicat, quæ ſuperius in acutum deſierit, quod idem & *Euſtathius* ſentit, de forma nihil addens. *Columnarum* vero alias uſum in templis atque ſacris uſitatum fuiſſe illud demonſtrat, quod donaria columnis affixa fuerint, qua de re Propertius (h)

Magna ego DONA *tua figam Cytherea* COLUMNA.

Quemadmodum etiam gemma apud *Begerum* (i) ſalutis ſacrificium exhibens, *columnam* repræſentat, cui figura virilis caput arietis Æſculapio ſacrum affigere cernitur. Quid quod *columnas* antiquitus imaginum ſtatuarumque loco cultas tradit *Clemens Alexandrinus* (k)

§. VIII.

Non ſolum autem *gentium* univerſarum aut *urbium*, verum & *hominum* ſingulorum *præſides* erant *Dæmones*. GENIUS *eſt Deus* inquit *Cenſorinus* (l) *cujus in tutela ut quisque eſt vivit.* Et paulo poſt: GENIUS *ita nobis aſſiduus*

b) Protrept. p. m. 16.
c) adv. Leocrat. p. m. 114.
d) Ran. I. 7.
e) ad H. B. p. 126. Ed. Baſil.
f) v. Ἀγυιᾶς.
g) fragm. ex Laocoonte, ibid.
h) II. 14.
i) Theſ Brand. T. I. p. 69.
k) Strom. I. p. 348.
l) de die natal. c. 3.

*duus obſervator appoſitus eſt, ut ne puncto quidem tempo-
ris longius abſcedat, ſed ab utero matris exceptos ad extre-
mum vitæ diem comitetur. Cuſtodes hominis* GENIOS
m) de dogm. Platon. p. 42. appellat *Apulejus.* (m) Ferebantque *Theologi* ſec. *Am-
mian. Marcellinum* (n) *in lucem editis hominibus cunctis*
n) XXI, 14. *velut actus rectura* NUMINA *ſociari.* ΔΑΙΜΟΝΑ γε-
o) Olymp. Od. 13. νέθλιον vocat *Pindarus*. (o) & alibi (p) ΠΟΤΜΟΝ συγγενῆ.
p) Nem. Od. 5. Quamvis enim πότμος proprie ſit *fatum*, nihil tamen im-
pedit, quo minus & *genium fata noſtra dirigentem* notet,
cum *Ammianus* l. c. ex Theologorum ſententia *ſalva fata-
li neceſſitate hunc* GENIUM *nobis ſociari* dicat. Nec uno
modo ſibi hunc *Dæmonem* conceperunt. Fuere enim, qui
cum *mente humana* quam paſſim *Dæmona* dici notum eſt
confunderent, unde illud *Poëtæ*

Eſt DEUS *in nobis ſunt & commercia cœli.*

q) I. 14. Fecit hoc *Epictetus* (q) in *Diſſertationibus ab Arriano colle-
ctis*, ὁ Ζεῦς inquit ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ ἑκάστῳ παρέστησε τὸν ἑκά-
στου ΔΑΙΜΟΝΑ. Ubi *mentem humanam* ipſum intelligere
facile capiet, qui diligenti manu *Antonini Imperatoris* ſcri-
r) Ep. 41. pta trivit. Fecit & *Seneca* (r) ſcribens: *Sacer intra nos*
SPIRITUS *ſedet, malorum bonorumque noſtrorum* obſerva-
tor & cuſtos. Nemo autem clarius hoc prodit *Jamblicho*
s) ap. Stob. Eclog. Phyſ. c. 6. *Epiſtola ad Pœmenium* (s) ΔΑΙΜΩΝ ἐστι ἁ ΨΥΧΑ, αὐτὰ γὰρ
ἄρχει καὶ κινεῖ τῶ διόλω ζώω.

§. IX.

Alii tamen *diviſi quid eſſe a mente humana Dæmonem
ſeu genium tutelarem exiſtimabant.* Apparet hoc ex *Mar-
t) L. II. p. 39. tiano Capella* (t) dicente. *Ideoque* GENIUS *dicitur, quo-
niam cum quis hominum genitus fuerit, mox eidem copula-
tur. Hic tutelator fidiſſimusque germanus, animos omni-
um menteſque cuſtodit.* Quod ſi vero animos menteſque
cuſtodit aliquid ab animo menteque ſeparati eſſe debet.
Explicat hanc doctrinam ulterius eleganti loco Hermes
u) Poemandr. c. 16. Sect. II. Triſmegiſtus (u) Γενόμενον γὰρ inquit, ἡμῶν ἕκαστον, καὶ ψυ-
χωθέντα παραλαμβάνουσι ΔΑΙΜΟΝΕΣ, οἱ κατ' ἐκείνην τὴν
τιμὴν τῆς γενέσεως ὑπηρεταὶ, οἱ ἐτάγησαν ἐν ἑκάστῳ τῶν
ἀστέ-

ἀςέρων. Quæ quis non videt Ægyptiacam doctrinam aperte referre? Quin imo Jamblichus (x) argumentis hoc ipſum demonſtrat, *quod Dæmon proprius mens eſſe non poſſit.* x) S. IX. 8.

§. X.

Hinc *generationibus præſidere putati*, qua propter *Orpheus* (y) *Genium* vocat y) H. in δαίμ.

παγγενέτην, βιοδώτορα θνητῶν.

Et *Cenſorinus* (z) *Genium exinde vocari* dicit, *quia ut genamur curet.* Γενέθλιοι θεοὶ proinde vocabantur, quibus vel propitiis vel iratis quis in lucem prodibat. Putat huc pertinere Vir Claræ eruditionis *Caſp. Bartholinus* (a) locum *Ovidii* (b) z) l. ſupr. all. a) in Ann. ad Parent. Tr. de Puerperio vet. p. 51. b) de Ponto. I. 9.

At tibi naſcenti, quod toto pectore lætor
Nerunt fatales fortia fila Deæ.

Cui autem non clarum eſt de Parcis hic loqui Poetam a γενεθλίοις illis θεοῖς plane diverſis? Eodem reſpectu *conjunctioni animæ cum corpore* hi *Dæmones* præfecti. Elegans in hac doctrina ut in aliis maxime eſt *Jamblichus*, pertinetque huc in Tr. ejus *de Myſter.* Sect. II. cap. 1. quod explicare, quia non admodum eſt prolixum conabimur. Demonſtraturus nempe ibi eſt *Porphyrio*, *num eſſentia, num potentia, num operationibus Dæmones ab heroibus & animis humanis differant.* Ea propter ΔΑΙΜΟΝΑΣ dicit, κατὰ τὰς γεννητικὰς καὶ δημιουργικὰς θεῶν δυνάμεις, ἐν τῇ πορρωτάτῃ τῆς προόδου ἀποτελευτήσει καὶ τῶν ἐσχάτων διαμερισμῶν παράγεσθαι. Quem locum cum jam in priori diſſertatione (c) ex *Procli* doctrina explicatum dederimus, paucis hic ſolum, ne quid intactum relinquamus ſumus præterituri. Dicit nempe *deſcendere Dæmones à Diis ex ultima claſſium quibus conjungitur apud Proclum* τὸ ἓν ἓν καὶ τὸ ἓν ὂν *ſive* ut clarius dicam *ex angelis, & quidem præditos generativis & opificibus facultatibus. Heroes autem deſcendere* pergit κατὰ τοὺς τῆς ζωῆς ἐν τοῖς θείοις λόγους, ſeu *ex facultatibus Deorum vivificis, & ab iis animarum perfectisſimas deſumi.* (Mentem nempe humanam ex c) §. XXII.

in-

inferiori Dæmonum claſſe ortum habere ſtatuebant.) *Adeoque cum* Dæmonum *atque* heroum *naturæ non una ſit cauſa, neceſſarium fieri, ut & ipſi inter ſe eſſentia differant.* Dæmones *nempe per ſuam eſſentiam perfectores eſſe naturarum mundanarum & ſuas provincias prout ſingulis ſint tributæ obſervare.* Heroes *contra habere naturam vivificam, rationalem, & per quam animæ imperare poſſint. Facultates igitur* Dæmonum *eſſe ut generent, generatis præſint, animamque cum corpore conjungant.* Heroum, *ut vivificent, hominemque dirigant, eſſe vero has* δυνάμεις heroum γενέσεως ἀπολελυμένας, i. e. *nihil ipſas ad generationem rerum facere, quippe quod ſit* Dæmonum. Unde facile illuc inducor intelligi hic per *vitam* quam in poteſtate ſua habent *heroes* debere *vitam Philoſophicam*, ſicut alias de morte Philoſophica frequens apud hos ſcriptores mentio & quemadmodum accipiendum quoque judico illum *Jamblichi* locum (d) ubi ΔΑΙΜΟΝΑ ἴδιον ἀποπληρωτὴν vocat τῶν ΒΙΩΝ τῆς ψυχῆς, ubi & illud quod nos volumus clariſſimis verbis aſſerit, nempe ΣΥΝΔΕΙΝ αὐτὸν τὴν εἰς σῶμα κατιοῦσαν ΨΥΧΗΝ πρὸς τὸ ΣΩΜΑ.

d) S. IX. 16.

§. XI.

Ea propter *dirigere eos actiones vitamque humanam* creditum eſt. *Stoicorum* ea ſententia fuit, qui dicebant *eſſe quosdam Dæmones* ἀνθρώπων συμπάθειαν ἔχοντας, ΕΠΟΠΤΑΣ τῶν ἀνθρωπείων ΠΡΑΓΜΑΤΩΝ, ut eſt apud *Laertium* (e) Idem tradit & *Hermes Triſmegiſtus*, (f) qui eos τὰ τῶν ἀνθρώπων ΕΦΟΡΑΙΝ dicit. Et a *Proclo* (g) ΦΥΛΑΚΕΣ ἀνθρωπείου γένους dicuntur. Quin imo ut docet nos *Celſus* (h) *Ægyptii exiſtimabant corporis humani partibus 36. totidem etiam præeſſe Dæmones, quorum & nomina ibi refert, utpote ſunt* χνουμὴν, χναχουμὴν, &c. Quemadmodum & quidam docuerunt omnia in tergo membra ſub Plutonis directorio eſſe, teſte *Artemidoro.* (i) *Aſtrologi* etiam *Climacteres* h. e. pericula vitæ a Dæmonibus, *qui natale temperant aſtrum deducebant*, ut ὁ πάνυ in *Tr. de annis Climactericis* paſſim demonſtrat. Sic in eorundem Aſtro-

e) VII. 151.
f) Poem. XVI. 8.
g) ad Heſ. Opp. v. 250.
h) ap. Origen. L. VIII.
i) Onirocr. I. 51.

Aſtrologorum doctrina κλῆρος τύχης ſeu *ſors fortunæ*, quam ex luna, & κλῆρος ΔΑΙΜΟΝΟΣ, *ſors Dæmonis* quam ex Sole petebant ſunt obviæ. Μερίζειν *Dæmones* τὰ ἀγαθὰ καὶ κακὰ ἀνθρώποις dicit *Proclus*, (k) Πλουτοδόται vocantur ab *Orpheo* (l) & *Heſiodo* (m) *Gaudiorum* item *& triſtitiæ autores.* Sic enim *Orpheus*

Ἐν σοὶ γὰρ ΛΥΠΗΣ τε ΧΑΡΑΣ κληῖδες ὀχοῦνται.

§. XII.

Internuncii porro inter *DEOS* erant atque *homines.* Hinc *Plato* (n) ſcripſit, quod ſint ΕΡΜΗΝΕΥΟΝΤΕΣ καὶ ΔΙΑΠΟΡΘΜΕΥΟΝΤΕΣ θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων, καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ θεῶν, τῶν μὲν τὰς ΔΕΗΣΕΙΣ καὶ ΘΥΣΙΑΣ, τῶν τε τὰς ΕΠΙΤΑΞΕΙΣ τε ΑΜΟΙΒΑΣ τῶν θυσιῶν. Ex quo illud hauſere *Porphyrius* (o) *Plutarchus* (p) & ut arbitror etiam *Jamblichus* (q). In Mythicis hoc munere functi dicuntur *Mercurius* atque *Iſis*, quam ΘΕΩΝ κατὰ μῦθον ΑΓΓΕΛΟΝ vocat *Euſtathius* (r) *Ratiocinandi argumenta nobis per eos ſuppeditari* ait *Jamblichus* (s) *ſuggerere quæ loqui debeamus* M. Tyrius (t) ex hoc *Homeri* loco (u) probat

Τηλέμαχ' ἄλλα μὲν αὐτὸς ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσεις
Ἄλλα δὲ καὶ ΔΑΙΜΩΝ ΥΠΟΘΗΣΕΤΑΙ.

Τοῖς χρηστοῖς συνεπιλαμβάνειν, τοῖς δὲ ἀδικουμένοις τιμωρεῖν, τοῖς δὲ ἀδικοῦσι προστιθέναι τὴν δίκην idem docet (x). Ἐκφαίνειν καὶ διαγγέλλειν ἡμῖν τοὺς πρὸς εὐζωΐαν κανόνας *Hierocles* dicit (y) *Ad bona hortari Servius.* (z)

§. XIII.

Sunt vero etiam functiones *Dæmonum circa animam humanam ſolum* verſantes. Sic ex ὑπερκοσμίοις θεοῖς τοὺς μὲν τὸν ΝΟΥΝ, τοὺς δὲ τὰς ΨΥΧΑΣ ποιεῖν dicit *Saluſtius* (a). Quod animam cum corpore conjungant jam ſupra vidimus. *Animam autem conjunctam ita dirigunt ut per eorum* βούλησιν ἀγαθὴν καὶ ἐνδιδομένην φωτὸς ἔκλαμψιν ἀνωτέρω χωροῦσα ἐπὶ μείζονα τάξιν τὴν ἀγγελικὴν *provehatur*; ex *Jamblichi* doctrina (b) qui alibi (c) dicit τὸ ΑΠΟΚΑΘΑΡΤΙΚΟΝ τῶν ΨΥΧΩΝ τέλειον εἶναι ἐν τοῖς ΘΕΟΙΣ. Illuſtrat eum *Saluſtius* (d) ſcribens: Τὰς ΨΥΧΑΣ τοῦ σώματος ἐξελ-

 θου-

k) ad Heſ. l. c.
l) H. in Δαίμ.
m) l. c.
n) in Sympoſ.
o) de Abſtin. L. II. §. 38.
p) de Iſ. & Oſ. p. m. 267.
q) S. I. 20.
r) ad Homer. p. 127.
s) S. IX. 6.
t) Diſſ. XXVI.
u) Od. γ. v. 26.
x) Diſſ. XXVII. p. 278.
y) ad aur. Carm. p. 41.
z) ad Æn. VI. p. 440. a. Ed. Pet. Daniel.
a) de Diis & mundo c. 6.
b) S. II. 2.
c) S. II. 5.
d) de DIS & mundo c. 12.

θύσαις ΘΕΟΙ ΚΑΘΑΡΣΙΟΙ καὶ ΔΑΙΜΟΝΕΣ τῶν ἁμαρτη-
μάτων ΚΑΘΑΙΡΟΥΣΙ. Nec *purgant* ſolum animas verum
& pro diverſis claſſibus diverſa alia in iis operantur. *Ar-*
changeli nempe *ad ſuperiora eam ducunt*, *Angeli a vincu-*
lis materiæ ſolvunt, *Dæmones* εἰς τὴν φύσιν *detrudunt*, ſive
ut naturæ ordini fatique imperio obſequantur adigunt, ut
e) S. V. 18. ex alio loco hujus Autoris (e) explico, (τὴν φύσιν autem ani-
(f) S. V. 10. ma inferiorem eſſe itidem aliunde patet,) (f) *heroes ad ſenſibi-*
p. 126. *lium rerum curam trahunt*, *Archontes tandem mundana-*
rum rerum atque materialium imperium tradunt, ut *Jam-*
g) S. II. 5. *blichus* hæc omnia prolixe exponit (g). *De proprio Dæmo-*
ne, quomodo nos e terrenis eripiat eleganter loquitur Anto-
h) L. III. §. 6. ninus, (h) Ἄιρειν ἡμᾶς καὶ κουφίζειν πρὸς τὴν θείαν πολι-
i) ad aur. Carmin. p. 41. τείαν ἀπὸ τῆς ἐν γῇ διατριβῆς ab *Hierocle* (i) dicuntur &
k) Protrept. *Jamblicho*. (k) Hos, quosque *Saluſtius* καθαρσίους θεοὺς
p. 29. vocat, alii λυσίους dicunt, de quibus *Pollux* videri poteſt (l)
l) V. 26. & *Gruterianum Inſcriptionum opus*, (m) Hi cineres etiam
m) MCLIX. mortuorum non ſinebant pollui, unde in *Inſcr.* cujus *Sal-*
n. 12. *maſius* (n) meminit, dicitur, Δυσσεβὲς ἀπέχου, ΛΥΣΙΟΙ κό-
n) ad Simplic. νιν ὁρῶσιν. Hinc & *Plato* (o) dicit, Αἱ τελεταὶ αὖ μέγα
pag. pen. δύνανται καὶ οἱ ΛΥΣΙΟΙ ΘΕΟΙ, quibus verbis reſpondet ali-
o) de Rep. L. II. cui dicenti, *pœnas apud inferos perpetiendas nobis eſſe pro*
omnibus in vita injuſte factis.

§. XIV.

Hæc adeo fuerunt, quæ ad *Dæmones hominum vitæque*
adeo humanæ ἐπιστάτας pertinere videbantur. Docebimus
nunc, quemadmodum *aliis quoque rebus* fuerint præfecti.
Μεγάλα μέρη τῶν ὑπὸ σελήνην τόπων διοικεῖν, *imbribus*,
tempeſtatibus, *fertilitati*, *&c.* præeſſe dicuntur a *Porphyrio*
p) de Abſt. L. (p). Nec ſolum μεγάλα μέρη, verum τὰ ὑπὸ σελήνην
II. §. 38. πάντα καὶ τὰ ἐπίγεια ipſis ſubdita eſſe docet *Alcinous* (q).
q) Introd. in Quo pertinent deinde mythica harum rerum involucra, ſe-
Philoſ. Platon. c. 15. cundum quæ v. g. *Vulcanus* ΔΑΙΜΩΝ ΕΠΙΣΤΑΤΗΣ τῆς
r) ad Il. β. p. 114 θερμῆς οὐσίας dicitur apud *Euſtathium* (r). In ſpecie *cuivis*
templo ſuus Dæmon tributus, quod demonſtrat *Jambli-*
s) S. V. 25. *chus* (s) ſcribens Καθ' ἕκαστον ἔθνος τῶν ἐπὶ γῆς διακεκλη-

ρω-

ρῶται· τις ὑπ' αὐτῦ κοινὸς ΠΡΟΣΤΑΤΗΣ καὶ καθ' ἕκαστον ΙΕΡΟΝ ὁ ἴδιος. *Singulas domus* ſuos habuiſſe *genios*, a Romanis *lares* a Græcis θεὺς κατοικιδίυς appellatos noto notius eſt. Si quis tamen probationem exigat, audiat apud *Plautum* (t) *larem Prologum* t) Aulular.

Ego LAR *ſum* FAMILIARIS, *ex hac familia*
Unde exeuntem me aſpexiſtis.

Hinc ἐφέστιος & ἑρκεῖος Jupiter cultus τοῖς] συνοικῦσι. Inſtar omnium hic ſit locus *Prudentii* (u) u) contr. Sym. l. II. v. 444.

Quanquam cur GENIUM *Romæ mihi fingitis unum*
Cum portis, domibus, thermis, ſtabulis ſoleatis
Adſignare ſuos GENIOS? *perque omnia membra*
Urbis, perque locos GENIORUM *millia multa*
Fingere, ne PROPRIA *vacet angulus ullus ab* UMBRA.

Hinc *Euſtathius* (x) *juxta quos vis etiam caminos Vulcani fictilia ſimulacra* ὡς ΔΑΙΜΟΝΑΣ τινὰς ΕΠΙΣΤΑΤΑΣ *collocata* obſervat. Et quam ſæpe in Inſcriptionibus & nummis, GENIOS CONVENTUUM, COLLEGIORUM, LOCORUM, MUNICIPES, EXERCITUUM, FAMILIARUM, SOCIETATUM, JUCUNDITATIS, ÆTERNALES, PLACIFEROS &c. memoratos dicam? Quin imo GENIOS quoque DEORUM, ut ita *Genius Martis* extat (y) quod dictum puto de illo numine, quod cum ſtatuis Deorum rite factis uniri docebant theurgi. Hoc quoque reſpectu *menſarum tutela Hercules* erat alias etiam ob ἀδδηφαγίαν celebris. Sic enim de eo *Statius* (z) x) ad Od. ρ. v. 455. y) ap. Reines. Cl. 1, n. 85. z) Sylv. IV.

caſtæ GENIUS *tutelaque* MENSÆ
AMPHYTRIONIADES.

§. XV.

Aſtrorum erant rectores, docet nos hanc rem ſatis prolixe profundus Philoſophus *Jamblichus* (a) cujus doctrinæ ſumma eo redit, ut dicat, *corpus illud cœleſtium Deorum ſeu ſiderum regi ab immateriali Dæmone, ita tamen, ut hoc corpus nihil impediat actiones Dæmonum, nec iis ob-* a) S. I. 17. 19.

ſtet, quo minus ſe ſemper ad τὸ ἓν τῶν θεῶν referre que-ant, adeoque ab unitate & ſimplicitate divinorum inter ſe eos non abſtrahat. Quinimo cœleſtia corpora ad immate-rialitatem proxime accedere, ratione ſuæ ſimplicitatis, indi-viſibilitatis, immutabilitatis, uniformis motus, & vitæ cui-que illorum inditæ ſtatuit. Pergit dicere, *Dæmones illos aſtrorum oriri ἐν τῷ νοητῷ, & ab illis proſiciſci τὰ ἐμφανῆ τῶν θεῶν ἀγάλματα, ſive ipſa de quibus loquimur a-ſtra, ita ut hæc ſuorum dæmonum ſint imagines. Connecti vero dæmonem cum aſtro, διὰ τὸν ἀφ' ἑνὸς πρόοδον καὶ εἰς ἕνα τῶν ὅλων ἀναγωγὴν, καὶ τοῦ ἑνὸς πάντην ἐπικρατείαν,* i. e. *per progreſſum ſeu ortum utriusque ex unitate & κοινῇ μετουσίᾳ τῶν θείων, per revolutionem & circulationem quaſi omnium rerum ad illud unum, & per imperium, quod eſt illi uni in univerſa.* De *uno* hoc elegantiſſime juxta & planiſſime diſſerit maxime c. 19. (b) quæ nimis longa eſſent & ab inſtituto noſtro aliena ſi hoc loco explicare vellemus. *Decanos* ejusmodi *dæmones* vocabant & λειτουργοὺς in ſua arte Aſtrologi, quorum rurſus mentio eſt apud *Jamblichum,* (c) hi ſunt θεοὶ θέοντες κατ' οὐρανὸν, σύν τε τῇ παντὸς περιαγήσει κατὰ λόγον ὁπᾳ δέοντες τῷ πράτῳ καὶ νοατῷ *Onati Pythagorei* (d). Sunt de iis etiam loca *Hermetis* (e) καὶ ὤφθη inquit ὁ οὐρανὸς ἐν κύκλοις ἑπτὰ, καὶ ΘΕΟΙ ταῖς ἐν ΑΣΤΡΩΝ ΙΔΕΑΙΣ ὀπτανόμενοι, [qui ſunt Dæmones] σὺν τοῖς αὐτῶν ΣΗΜΕΙΟΙΣ [aſtris ſcil. utpote Dæmonum illorum imaginibus] ἅπασι. Et rurſus (f) de 7. *mundis* loquitur intelli-gitque ſine dubio orbes planetarum, cum dicat σελήνην πάντων ἐκείνων πρόδρομον, & poſt pauca, θεάσαι δὲ καὶ τὸ πλῆθος ΑΘΑΝΑΤΩΝ ΖΩΩΝ ὅσον ἐστί. Hinc dedu-cendum arbitror quod Æſculapius νοῦς σεληνιακὸς, Apollo ἡλιακὸς vocetur a *Porphyrio* (g) quamvis *Jamblichus* (h) Ἀσκληπιὸν ἐν ἡλίῳ θετέον dixerit.

b) p. 34.
c) S. IX. 1.
d) ap. Stob. Ecl. Phyſ. c. 3.
e) Poem. c. 3. Sect. 2.
f) c. II. Sect. 7.
g) ap. Procl. in Tim. p. 49.
h) ibid.

§. XVI.

Occaſione iſta præterire nolui notabile ſatis jusjuran-dum quod ab initiandis Aſtrologia præſtabatur, extatque apud celebrem & ineditum adhuc ſcriptorem Aſtrologum

Vet-

Vettium Valentem (i). Et quamvis editum jam ſit a *Salma-* i) Init. L. VII.
ſio, (k) tamen, quia nec illius ſcripta omnium teruntur mani- k) de Ann. Clim. p. 788.
bus hic apponere non tædebit. Ἐντυγχάνοντας ὁρκίζω
ἡλίου μὲν ἱερὸν κύκλον, καὶ σελήνης ἀνωμάλους δρόμους, τῶν
τε λοιπῶν ἀστέρων δυνάμεις, καὶ κύκλον δύο καὶ δέκα ζω-
δίων, ἐν ἀποκρύφοις ταῦτα ἔχειν καὶ τοῖς ἀπαιδεύτοις ἢ
ἀμυήτοις μὴ μεταδιδόναι, τιμήν τε καὶ μνήμην τῷ εἰσηγη-
σαμένῳ ἀπονέμειν. Εὐορκοῦσι μὲν εὖ εἴη, καὶ καταθύμιοι
οἱ προκείμενοι θεοὶ, ἐπιορκοῦσι δὲ τὰ ἐναντία.

§. XVII.

Sed ad rem redeamus. *Saluſtius* (l) τοὺς ἐγκοσμίους l) de Diis & mundo c. 6.
θεοὺς dicit *facere mundum*, τοὺς ὑπερκοσμίους autem *facere*
Deos ſe inferiores, *illos etiam animare mundum, connectere*
& ita adornatum cuſtodire. *Tot* fere *quot* ſunt *actiones*
ſtatusque hominum diverſas *Dæmonum* ratione officiorum
claſſes conſtituit *M. Tyrius* (m) *Deo ſummo ſerviunt* ut declarat m) Diſſ. VI. p. 270.
Orpheus (n) n) ap. Clem. Alex. p. m. 608. b.

Σῷ δὲ θρόνῳ πυρόεντι παρεστᾶσιν ΠΟΛΥΜΟΧΘΟΙ
ΑΓΓΕΛΟΙ.

Quo pertinet, quæ de iis *Jamblichus* diſſerit (o) οὐ προτουρ- o) S. I. 5.
γοὺς ὄντας, i. e. qui non propria voluntate aliquid facere poſ-
ſint, ſed ΥΠΗΡΕΤΙΚΟΥΣ τῆς ἀγαθῆς τῶν ΘΕΩΝ ΒΟΥΛΗ-
ΣΕΩΣ eos aſſerens. Quomodo ſibi ipſis in miniſterio invi-
cem ſint ſubordinati *idem* explicat (p) ſcribens, *Circa DEOS* p) II. 7.
eſſe ſatellitium Deorum, *vel angelorum*, *circa archangelos*
προπομποὺς ἀγγέλους *vel æquali cum iis ordine vel ſubſe-*
quentes, *ut adeo* quemadmodum *paulo poſt* (q) loquitur, q) p. 49.
à Diis dependeant omnia tria genera, *ab archangelis an-*
geli, *ab angelis Dæmones & hoc ordine ſibi invicem ſint*
ὑπηρετικά.

§. XVIII.

Jam tandem ad ea etiam, quæ *male agere crede-*
bantur Dæmones progrediemur. *Terrent & nocent* ut de
larvis tradit Apulejus (r) *inane terriculamentum bonis ho-* r) de D. S. p. 79.
minibus eos vocans. Huc pertinet & *Heliodori* locus, (s) s) Æthiop. V. 4.
ΕΠΑΙΖΕ δὲ ἄρα τι τὸν Κνήμονα ΔΑΙΜΟΝΙΟΝ, ὃ καὶ τὰ
ἄλ-

ἀλλὰ ΧΛΕΥΗΝ ὡς ἐπίπαν τὰ ΑΝΘΡΩΠΕΙΑ πεποίηται.

t) de C. Pl. V. 11. *Vim* ipſorum *nocivam* non *Theophraſtus* (t) ſolum indicat de variis arborum aut plantarum ΦΘΟΡΑΙΣ agens, dicensque, ὡς γ' ἔνιαι καὶ ἀπὸ τῶν ΔΑΙΜΟΝΩΝ συμβαίνουσι,

u) II. 15. verum & *Heliodorus* (u) altera vice, ubi *Calaſiris Memphiticus ſacerdos Rhodopen quandam ſe in amorem pellexiſſe tradit, ſe vero ne officium ſuum pollueret, voluntarium ſuſcepiſſe exilium*, συνιέντα ὡς τῶν πεπρωμένων ἐστὶν ὑπόκρισις, καὶ ὡς ὁ τότε εἰληχὼς ΔΑΙΜΩΝ οἱονεὶ προσωπεῖον αὐτὴν ὑπῆλθε. Ὑποκρίσεως & προσωπείου vocabula ex veteri Comœdia deſumta facile apparet, illud forte non ita obvium, quid per τὸν τότε εἰληχότα ΔΑΙΜΟΝΑ intelligatur. Non enim putandum indicari hic *Genium* qui a principio vitæ hominibus cuſtos additur, cui repugnat τὸ τότε, verum *aſtrorum qui tunc erat ſtatum.* Oſtendunt hoc non modo ſequentia, ubi dicit: Ἐδεδίειν γὰρ, μὴ τοῦ τότε ΕΠΙΚΡΑΤΟΥΝΤΟΣ ΑΣΤΕΡΟΣ ἐπιβρίσαντος καὶ πρὸς τὸ αἴσχιον τῶν ἔργων ἐκνικηθείην. Sed & *antecedentia*

x) c. 24. (x) ubi ita loquitur: οὐ πολλοῖς ἢ ὕστερον ἔτεσιν, ΟΥΡΑΝΙΑ ΦΩΣΤΗΡΩΝ εἱμαρμένη περίοδος τρέπει τὰ καθ' ἡμᾶς, καὶ ὄμμα ΚΡΟΝΙΟΝ [i. e. Saturni ſidus] εἰς τὸν οἶκον ἐνέσκηψε, τὴν ἐπὶ τὸ ΧΕΙΡΟΝ μεταγωγὴν προέφηνε. Quem locum

y) Poem. c. 16. Sect. II. optime explicat *Hermes* (y) οὗτοι γὰρ [nempe οἱ ταχθέντες ἐν ἑκάστῳ τῶν ΑΣΤΕΡΩΝ ΔΑΙΜΟΝΕΣ] κατὰ στιγμὴν ἐναλλάσσονται, οὐχ οἱ αὐτοὶ ἐπιμένοντες, ἀλλ' ἀνακυκλούμενοι. Adeoque Calaſiridis felicitas aſtrorum priori fauſto ſtatu mutato Saturnoque regnante plane invertebatur. Quæ quia Ægyptiorum maxime hac in re hypotheſes exacte declarant, paulo altius repetenda fuerunt.

§. XIX.

z) ad Æn. VI. v. 440. *Ad mala præterea nos incitare* putati. Sic enim *Servius* (z) *ex duobus Geniis qui nobis addantur alterum ad mala depravare* dicit, ὁπλίζειν εἰς ΑΝΟΜΙΑΝ *Hermes*, (a)

a) Poem. c. 1.

b) Pyth. Od. 3. εἰς ΚΑΚΟΝ τρέπειν *Pindarus*, (b) Huc & Sophoclis locus

c) Ajac. v. 243. (c) pertinet,

ΚΑ.

ΚΑΚΑ δεννάζων ῥήμαθ' ἃ ΔΑΙΜΩΝ
Κὐδεὶς ἀνδρῶν ΕΔΙΔΑΞΕ.

Malo enim ibi δαίμονα κακὸν quam cum Schol. μανίαν intelligere. Ἀλάςορες hi Dæmones audiebant, quod patet ex *Heliodoro* (d) qui de parricida aſſerit, quod fuerit ὑπὸ ΔΑΙΜΟΝΩΝ ΑΛΑΣΤΟΡΩΝ ἐπὶ τὺς γεννήσαντας ἐλαθεὶς. Cum ſint alias ἀλάςορες δαίμονες, ΑΛΗΣΤΩΝ τινῶν καὶ παλαιῶν μιασμάτων μνήμαις ἐπεξιόντες; ut *Plutarchus* docet, (e) quo ſenſu, [ut obiter moneam] ἀλάςορες etiam dicuntur hoſtes Ajacis apud *Sophoclem*, (f) non ut *Triclinius* vult tanquam κακοὶ ἢ φονεῖς. Πολέμυς & ςάσεις excitare eos *Plutarchus*. (g) *Malis etiam nos afficere* ſcribit *Horatius* (h)

Nocturnus occurram furor
Petamque vultus UMBRA *curvis unguibus*
Quæ vis DEORUM *eſt* MANIUM.
Et inquietis aſſidens præcordiis
Pavore ſomnos auferam.

In Mythicis hac operatione *Ate dea* inſignis; de qua loqui puto *Sophoclem* (i)

Ἀλλά μ' ἁ Διὸς ἀλκίμα θεὸς
Ὀλέθριον αἰκίζει.

Nam eadem Ate ab *Homero* k) appellatur

Πρέσβα ΔΙΟΣ ΘΥΓΑΤΗΡ Ἄτη.

Eſtque egregia plane de Ate obſervatio Viri incomparabilis *Iſ. Voſſii* (l) *quod Ate eadem ſit ac Nemeſis, & ſicut plures fuerint Nemeſes ita & plures ſint* Atæ, *quo nomine appellatæ ſint, non furiæ tantum, ſed & Parcæ & aliæ Deæ Jovis filiæ, ac in puniendis hominibus miniſtræ.*

§. XX.

Hæc ſatis prolixe *de officiis ac operationibus* horum ſpirituum dicta ſufficiant; quibus adjungimus proxime eorum etiam *apparitiones*. *Apparere* eos tam certum a gentilibus habitum, *ut mirati ſint Pythagorei oppido ſi quis ſe denegaret unquam vidiſſe Dæmonem*, ut refert *Apulejus* (m). Injurii in hanc materiam ipſiusque æſtimatores eſſemus ſi

d) l. 13.
e) de def. Orac.
f) Ajac. v. 373.
g) de def. Orac. p. m. 188.
h) Epod. 5.
i) Ajac. v. 401
k) Il. τ.
l) ad Catull. p. 112.
m) de D. S. p. 83.

ſic-

n) S. II. tota. ſicco pede egregia de his apparitionibus *Jamblichi* (n) do-
o) c. 3. ctrina prætereatur. Oſtendit admirabilis hic ſcriptor, (o) *diſcrimen aliquod eſſe in apparitionibus ſpecierum divinarum*, adeoque docet, DEORUM φάσματα *eſſe ſimplicia, ſalutaria, immutabilia & magnitudinis ratione & formæ ordinata nec turbulenta, ineffabili tandem ac divina plane pulchritudine conſpicua.* DÆMONUM contra, *varia, ita ut idem ſpiritus mox magnus mox parvus appareat, terribilia, confuſa, pulchra quidem ſed pro ratione ſuæ naturæ*, per quam ut alibi monet vapores mundanos admiſtos habent, materiæque propiores ſunt. ANGELORUM *ſingulis partibus paulo Dæmonibus ſuperiora, ita ut ſint ſimpliciora, mitiora, magis immutabilia, quietum aliquem & ſatis ordinatum motum habentia, pauliſper tandem pulchriora.* ARCHANGELORUM *phasmata Diis utpote illis propiorum conveniunt magis. Hincque ſunt* βλοσυρὰ ἅμα καὶ ἥμερα, *terrore & jucunditate miſta, immutabilitate Deos proxime attingentia, maxima prædita pulchritudine, ſed non ita mirabili ac ineffabili ut Dii.* Eoque ordine reliquarum etiam ſpecierum, *Archontum* puta, *heroum* ac *animarum* attributa pro ſua cujusque ad ſuperiora relatione diſponuntur.

§. XXI.

p) c. 4. DEORUM porro (p) *in apparendo celeritas tanta*, ut τοῦ νοῦ ſint ταχύτερα, qua recepta apud Græcos ſcriptores conſuetudine loquendi, ſumma & conceptus noſtros ſu-
q) Scut. v. 222. perans celeritas indicatur, ſic *Heſiodus* (q) de Perſeo, ὥστε
r) Paſtor. III. p. 100. ΝΟΗΜΑ ἐποτᾶτο, *Longus* etiam (r) θᾶττον τοῦ ΝΟΗΜΑΤΟΣ παρὰ τὴν χλόην κατέδραμε. Unde & ad Latinos
s) de Rapt. Proſ. L. II. v. 201. hæc formula tranſiit inter quos *Claudianus* (s) Plutonis equos tam celeres fuiſſe ſcribit, *quantum*

Non leve ſollicitæ MENTIS *diſcurrit acumen.*

Non obſtante tamen hac celeritate, *operationes deorum*, quod addit Jamblichus *ſunt ἀκίνητοι καὶ σταθεραί*, quemadmodum videlicet circuli Peripheria centro immobili circumvolvitur. In ARCHANGELORUM *contra phasmatibus*

bus celeritas cum ſtabilibus iſtis operationibus eſt σύμμικτος. Stabiles dico operationes cum pro δραστηρίοις legere malim apud *Jamblichum* διαστηρίκτοις, ut adeo cum ἀκινήτοις iſtis καὶ σταθεραῖς ἐνεργείαις conveniant, ſolo hoc diſcrimine, quod in Diis apparitionis celeritas & operationis firmitas bene ſint diſtincta, in archangelis confuſa. ANGELI *motum quidem habent, ſed in hoc motu non pariter,* τὸ ἅμα τῷ λέγειν ἀποτελεστικόν. DÆMONES *tandem ſpeciem magis celeritatis præbent, quam ut vere ſint veloces.* DII *in apparitionibus tantum lucis ſecum habent, ut ſol, luna cum univerſo cœlo abſcondi quandoque videantur, terra autem conſiſtere ipſis apparentibus nequeat.* Unde *de luce Euripides* (t) t) Jon. v. 1549.

Ἔα, τίς οἴκων θεοδότων ὑπερτελὴς
ΑΝΘΗΛΙΟΝ πρόσωπον ἐκφαίνει ΘΕΩΝ;

de *terræ motu Virgilius* (u) u) Æn. III. v. 90.

TREMERE *omnia viſa repente*
Liminaque lauruſque DEI.

In ARCHANGELORUM ἐπιφανείαις *partes ſolum quædam mundi, quibus nempe ſunt præfecti moventur, præceditque eos lux minus denſa, quæ in* ANGELORUM *ac* DÆMONUM *apparitionibus magis magiſque tenuis redditur.* Oſtendit deinde, (x) *quas utilitates vel damna inde* x) c. 5. & 6. *percipiamus, quos ſatellites ſecum habeant* (y) *quo ſplendo-* y) c. 7. *re percellant oculos* (z) *quos motus in animis noſtris exci-* z) c. 8. *tent.* (a) Tandem (b) redarguit *Porphyrium*, *qui omnibus* a) c. 9. *divinis generibus commune eſſe* dixerat τὸ περιαυτολογεῖν, b) c. 10. καὶ τὸ εἰδωλοποιὸν φάντασμα φαντάζειν. Reſpondet enim, *Deos, angelos & Dæmones bonos ſemper veram ſuam naturam repræſentare hominibus, deceptionem vero illam accidere admiſſo quodam in theurgicis operationibus peccato, quo pacto inferiora genera induant ſpecies* τῶν σεμνοτέρων τάξεων, *& ſimulent* ἐκεῖνο εἶναι ὅπερ ὑποδέδυκε. Ad ultimum hic quoque obſervamus nefas fuiſſe Deos apparentes ipſis invitis aſpicere, unde *Jon* apud *Euripidem* (c) c) Jon. v. 1551.

φθέγγωμαι ὦ τεκοῦσα, μὴ τὰ ΔΑΙΜΟΝΩΝ
ΟΡΩΜΕΝ, εἰ μὴ ΚΑΙΡΟΣ ἐσθ' ἡμᾶς ΟΡΑΝ.

Quod illa prolixius paulo deduxerim operam me non perdidiſſe credo, cum in paucorum manibus ὁ θεῖος Ἰάμβλιχος ut olim appellari meruit verſetur, doctrina autem ejus quæ diligenter cogitetur digna ſit.

§. XXII.

Alias ſub *forma humana* quam ſæpiſſime apparebant. Hinc ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΝ τὸ ΔΑΙΜΟΝΙΟΝ γένος, καὶ εἰωθὸς ἀποκρίνειν διὰ σωμάτων ΑΝΘΡΩΠΙΝΩΝ appellat *M. Tyrius* (d) Qua de re perſpicue ſatis Cnemonem inſtruit Calaſiris apud *Heliodorum*, (e) DEOS nempe dicit *&* DÆMONES *cum nobis appareant, alius animalis quam rariſſime,* HOMINIS *ut plurimum aſſumere figuram,* τῷ ὁμοίῳ πλέον ἡμᾶς εἰς τὴν φαντασίαν ἐπαγομένους, ubi minus recte *Interpres. Similitudine magis ut viſum in ſomnii eſſe opinemur, nobis imponentes.* Vertendum erat: *Similitudine noſtri ad attentionem nos maxime moventes. Cognoſci autem eos* pergit *ex oculis, quorum palpebras non moveant, pedibus etiam quos non alternatim proferant ſed findant magis aerem, quam transpoſitione pedum eum protrudant, unde ſtatuas Deorum ab Ægyptiis conjunctis ſingi pedibus.* Exemplum formæ humanæ exhibet nobis *Eunapius* (f) de *Jamblicho* narrans, *quod, cum aliquando cum diſcipulis ſuis Gedarenas thermas inviſeret, duorum fontium elicuerit* GENIOS, *quorum alter* Eros, Anteros *alter ſit vocatus, utrumque pueri candidi, modica ſtatura ſimilem, niſi quod alter nigras, fulvas alter comas habuerit.*

d) diſſ. XXVII. p. 271.

e) Æth. III. 13.

f) in Jamblicho p. m. 26. ſ.

§. XXIII.

Squalidos ſæpe & ſordidatos varia loca monſtrant. Sic *Ammianus Marcellinus* (g) cujus & in *priori Diſſertatione* (h) mentionem injiciebamus, de Conſtantio ſcribit: *Poſt confeſſus eſt junctioribus proximis, quod tanquam deſolatus ſecretum aliquid videre deſierit, quod interdum adfuiſſe ſibi* SQVALIDIUS *exiſtimabat, & putabatur* GENIUS *quidam tutelæ ſalutis appoſitus eum reliquiſſe.* Ubi conſe-

g) XXI. 14.

h) §. XI.

feratur l. c. a nobis adducta ex *Xiphilino* terribilis Domitiani cœna. Cum qua exacte convenit, quod *Heliodorus* (i) i) Æth. I. 3. ſcribit, *Charicleam prædonibus viſis qui μέλανες erant τὴν χροίαν* dixiſſe: Εἰ μὲν ΕΙΔΩΛΑ τῶν κειμένων ἐστε, nam & ibi pueri nigro colore imbuti Manium loco erant. Nec tamen ſemper erant nigri verum quandoque albi etiam, quod *Horatius* (k) nos docet canens k) Epiſtol. II. 2.

Scit GENIUS *natale comes qui temperat aſtrum*
Naturæ Deus humanæ mortalis in unum
Quodque caput, vultu mutabilis ALBUS *&* ATER.

§. XXIV.

Mali Dæmones ſub ferarum & brutorum ſpecie ſe repræſentabant. Hinc *Jamblichus* (l) de *ſatellitio eorum* loquens dicit, τοὺς ΠΟΝΗΡΟΥΣ ΔΑΙΜΟΝΑΣ, ΘΗΡΙΑ τινὰ βλαβερὰ, καὶ αἱμοβόρα καὶ ἄγρια περικεῖσθαι. Præterea *Pauſanias* (m) *picturam quandam a ſe viſam* aſſerit, *ubi talis Dæmon χροιὰν δεινῶς* ΜΕΛΑΣ, καὶ τὸ εἶδος ἅπαν ἐς τὰ μάλιστα φοβερὸς, ΛΥΚΟΥ ἀμπεχόμενος δέρμα depictus fuerit. Quo *Ariſtophanis* (n) etiam locus pertinet, ubi Xanthias Baccho illudens dicit, l) S. II. 7. m) p. 468. n) Ran. I. 6.

ΞΑ. καὶ μὴν ὁρῶ νὴ τὸν Δία ΘΗΡΙΟΝ μέγα,
ΔΙ. καὶ ποῖόν τι; ΞΑ. δεινὸν, παντοδαπὸν γοῦν γίνεται,
Τότε μὲν ΒΟΥΣ, νυνὶ δ' ΟΡΕΥΣ, τότε δ' αὖ γυνὴ
Ὡραιοτάτη τις, ΔΙ. ποῦ 'στι, φέρ' ἐπ' αὐτὴν ἴω.
ΞΑ. Ἀλλ' οὐκ ἔτ' αὖ γυνή ἐστιν, ἀλλ' ἤδη ΚΥΩΝ.

§. XXV.

Huc non in commode referam antiquiſſimum morem, quo ſub *ſerpentibus* repræſentabant *dæmones bonos.* *Genium* maxime *loci* ita depingebant, id quod *Virgilius* (o) o) Æn. V. v. 95. indicat, de *ſerpente* ex Anchiſæ tumulo emergente dicens,

Incertus GENIUMne LOCI, *famulumne parentis*
Eſſe putet.

quod *anguis* inſuper eximiæ magnitudinis *arcis Athenienſis cuſtos* apud *Herodotum* (p) probat, *Perſius* item hoc loco (q) p) VIII. 41. q) Sat. I, v. 113.

Pinge duos ANGUES, *pueri ſacer eſt locus extra Mejite.*

Moris enim erat ut tabernis ſuis Domini appingerent ſerpentes, ne tanquam ſacra loca a laſcivis pueris conſpurcarentur. Eodem pertinet & *ſerpens Nymphis quæ genii fontium erant* adjunctus in antiqua quadam pictura apud *Fabrettum.* (r) Item quod *δράκοντες εἰς ἄνδρας μεταβαλλόμενοι* ſignificent *ἥρωας, εἰς γυναῖκας ἢ ἡρωΐδας* juxta *Artemidori* præcepta. (s) Talis *Lanuvii ſerpens* erat de quo *Propertius* (t) talis *Bœoticus* in *Martis luco* de quo *Ovidius.* (u) Tales *Epirotarum dracones* Apollini ſacri e quibus de anni fertilitate divinabant, tales *Ægyptii Melitæ*, apud *Ælianum.* (*) Talis & *Python* de quo non obſcuri Autores tradidere eum Delphicum cuſtodiviſſe oraculum. (**) Ἀγαθὸν ΔΑΙΜΟΝΑ *Phœnices ſerpentem, Ægyptii Cneph* vocabant ut *Sanchoniatho Philone Interprete* apud *Euſebium* (x) prodit.

§. XXVI.

Quis autem, niſi plane monumentorum veterum gemmarum maxime & nummorum imperitus *ſalutis genium* ſerpentem eſſe ignorabit, quemadmodum nota etiam eſt fabula mutati in Draconem Æſculapii cum Romam Epidauro transferretur. Quo referenda etiam Alexandri fallacia novum Æſculapium ex ſerpente Pellæo (quales erant innoxii,) fingentis apud *Lucianum.* (***) Prodiit ſuperiori anno in Gallia *de Salutis apud veteres cultu* aliquot plagellarum Tractatus in *Actis* etiam noſtris excerptus pariter & laudatus, (y) in quo tamen illud vix laudandum arbitror, quod gemmam cujus in Actis etiam fit mentio tam ſollicite explicet. Quod enim pro antiqua ipſam habet, quod Peſcennium in ea exprimi dicit, utrumque valde incertum. Artificium enim antiquorum temporum elegantiam & *ἀκρίβειαν* adeo non refert, ut ara ſupra caput poſita, caput in angulo gemmæ locatum, literæ hic & illic diſperſæ omnem fere antiquitatis fidem ipſi derogent. Peſcennium ea repræſentari debere nihil ſuadet, & explicatio denique literarum nil niſi conjecturam nobis ſiſtit. Habemus omnino tales gemmas maxime ſub Taliſmanum

r) de Aquæduct. Diſſ. II.
s) IV. 81.
t) IV. 8.
u) Metam. III. v. 28. ſq.
*) de Natur. Anim. XI. 2. 17.
**) v. Apollodor. Bibl. I. 4. Pauſan. p. 812. Schol. Homer. ad Il. 6. v. 519, & Il. I. v. 405.
x) Præp. I. 10.
***) Pſeudom. T. I. p. m. 722.
y) Menſ. April. Ao. 1706. p. 155. ſq.

manum forma recentiorum artificum, quas explicare μικρο-
λόγων eſt & τὸν κύμινον διαπριόντων. Sed opus eſt ut ulterius quæ *ad ſerpentes geniorum imagines* ſpectemus. *Bacchicorum orgiorum ſignum ſerpens erat*, teſte *Clemente Alex.* (z) Hinc *Ophitæ ſerpentem* aliquem in ſpelunca nutriebant, a quo per magicas incantationes evocato, & ſuper aram egreſſo oblationes ſuas ſanctificari crediderunt, qua de re videri poteſt Celeberr. noſter *Ittigius*, (a) Pari modo *Jovis Sabazii* cultu initiandi *ſerpentem* per ſinum ducebant, ut *Julius Firmicus* demonſtrat. Quin imo eousque ſymbolicus iſte cultus proceſſit ut *Juſtinus Martyr* (b) ſcribat, παρὰ παντὶ τῶν νομιζομένων παρ᾽ ὑμῖν ΘΕΩΝ ΟΦΙΣ σύμβολον μέγα καὶ μυστήριον ἀναγράφεται. Hoc in *Iſidis maxime templo factum* elegantiſſimus *Sponius* (c) obſervat, quo *Juvenalis* locus facit ſcribentis

Et moviſſe caput viſa eſt argentea SERPENS.

Loquitur enim ibi de re quadam cui Iſis annuat. Hic *ſerpentum* honor unde niſi a *Phœnicibus* originem ſuam habeat? De quibus ita *Sanchoniathon* (d) τὴν μὲν τοῦ ΔΡΑΚΟΝΤΟΣ φύσιν καὶ τῶν ΟΦΕΩΝ αὐτὸς ἐξ ΕΘΕΙΑΣΕΝ ὁ Τάαυτος καὶ μετ᾽ αὐτὸν αὖθις ΦΟΙΝΙΚΕΣ τε καὶ Αἰγύπτιοι, ubi in ſequentibus etiam cauſas affert cur illis animalibus divini aliquid tribuerint. Niſi tamen κακοδαίμονος impulſu ab impuro in Hiſtoria Protoplaſtorum ſerpente cultus ejus occaſionem ſumſere. Neque vero quis perpetuam hanc Geniorum imaginem debet putare, nam ſæpiſſime *humana* etiam *forma* nobis repræſentantur, v. g. in nummis ubi *Exercitus Genii*, in ſepulchralibus item monumentis ſub *puerorum* in utroque latere ſtantium figura; quorum alter rectam, humo obverſam alter facem manu tenet. Ut alia exempla penum Antiquitatis intentius ſcrutantibus facile obvia nunc taceam.

z) Paræn. p. 9. & 14.

a) de Hæreſ. p. 120.

b) Apol. II. p. m. 21.

c) Miſcell. p. 87.

d) ap. Euſeb. Præp. l. c.

§. XXVI.

Solus adhuc ad eas quæ tractationem *de Dæmonibus* abſolvunt partes reſtat *cultus*, quem quantum vires noſtræ permittent exponemus plus effecturi ſi ſupereſſent Zoroaſtris

vicies

vicies centena millia de Deorum ſacris, cultu & ritibus verſuum. Num *materialis* is eſſe debeat nec ne prolixe ſatis diſputat *Jamblichus*, (e) ſummaque ejus doctrinæ eo redit, ut dicat, *materialibus Diis atque in iis ſacrificiis, quibus corporis aliquod bonum expetitur materialia offerri debere, immaterialibus Diis immaterialia*; ſ. ut *Porphyrius* (f) explicat, ἀπαρξόμεθα αὐτοῖς ΕΝΝΟΙΩΝ καὶ τῶν περὶ αὐτῶν καλῶν. Quo pertinet etiam, quod *Hierocles* (g) dicit, ἡ δὲ σύμφωνος τῷ ΝΟΜΩ ΤΙΜΗ ἥτις ΟΥΣΙΑΣ ἐστὶ τῶν τιμωμένων ΓΝΩΣΙΣ, καὶ ἡ πρὸς αὐτὴν κατὰ δύναμιν ΕΞΟΜΟΙΩΣΙΣ. Nec immerito huc trahas ſenioris iſtius in Pythagorici convivio præceptum: Περὶ τοῦ ΘΕΙΟΥ, καὶ περὶ τοῦ ΔΑΙΜΟΝΙΟΥ, καὶ περὶ τοῦ ΗΡΩΙΚΟΥ γένους εὔφημόν τε καὶ ἀγαθὴν ἔχειν ΔΙΑΝΟΙΑΝ, apud *Jamblichum*. (h) *Sacrificia* autem ut porro docet *Jamblichus* (i) *a materialibus Diis debent incipere, quippe cum aliter ad immateriales non detur aſcenſus, utpote qui non aliter corpora ſibi ſubjecta regant quam mediantibus materialibus*. *Perfectiſſimum denique ſacrificium* ſtatuit, *ſi ſacrificetur ſimul omnibus ſpiritibus Deum in apparitione comitantibus cuique pro naturæ ſuæ ratione.*

e) S.V. tota.
f) de Abſtin. L. II. §. 34.
g) ad aur. p. 22. c. & p. 46.
h) de vit. Pyth. L. I. p. 100.
i) l. ſupa all.

§. XXVIII.

Hæc quamvis jam evincant colendos eſſe Dæmones ex Vetere ſuperſtitione aperta tamen quibus id præcipitur & monſtratur loca priusquam ad magis ſpecialia tranſeamus ſumus adducturi. Sic *Cyrillus Alexandrinus præſul* (k) de *Dæmonibus* ἐπιστάταις gentium dicit: Ἑαυτοῖς τὰ παρὰ πάντων ἁρπάζουσι γέρα, τὰς ΘΥΣΙΑΣ, τὰς ΕΟΡΤΑΣ, τοὺς ΥΜΝΟΥΣ, τὰ ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ, καὶ ταῖς αὐτῶν ΘΕΡΑΠΕΙΑΙΣ ἀνακεῖσθαι μόναις ἀναπεπείκασι τοὺς ἐπὶ γῆς. *Porphyrius* item *quosdam* DÆMONUM *conſequi* dicit *apud homines* ΤΙΜΩΝ τ' ἰσοθέων καὶ τῆς ἄλλης ΘΕΡΑΠΕΙΑΣ. Hinc *Origenes* (m) ſcribit Διὰ τὰς ΘΥΣΙΑΣ καὶ ΚΝΙΣΣΑΣ ἐοίκασι μᾶλλον ποιεῖν οἱ ΔΑΙΜΟΝΕΣ τὰ ἀξιούμενα ὑπὸ τῶν αὐτοῖς προσαγόντων. Ipſe *Celſus* apud *eundem* (n) vult

k) adv. Jul. p. 121.
m) adv. Celſ. L. v. 11.
n) L. VIII.

vult nos ΕΥΧΑΡΙΣΤΟΥΣ εἶναι πρὸς τοὺς ΔΑΙΜΟΝΑΣ, οἰόμενος ἡμᾶς ὀφείλειν αὐτοῖς ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ.

§. XXIX.

Cum igitur colendæ divinitatis genera eſſe conſtaret, non tamen omnia pari modo coli debere certum habebatur. Hinc *ordo in cultu* obſervandus ſtricte fuit, quo genera iſta ſibi invicem ſubordinabantur. Unde *Hierocles* (o) dicit, ὡς δέοι τοὺς ΕΓΚΟΣΜΙΟΥΣ ΘΕΟΥΣ κατὰ τὴν ὑπάρχουσαν αὐτοῖς ΤΑΞΙΝ ΤΙΜΑΝ, ἣν ὁ δημιουργικὸς νόμος ἅμα τῇ οὐσίᾳ αὐτῶν συμπροήγαγε. Et *Laërtius* (p) *Pythagoram præcepiſſe* dicit, ΘΕΟΥΣ μὲν ΔΑΙΜΟΝΩΝ προτιμᾶν, ΗΡΩΑΣ δὲ ἀνθρώπων. Rurſusque (q) ΤΙΜΑΣ ΘΕΟΙΣ, δεῖν νομίζειν καὶ ΗΡΩΣΙΝ, μὴ τὰς ΙΣΑΣ ἀλλὰ ΘΕΟΙΣ ἀεὶ, μετ' εὐφημίας, λευχειμονοῦντας καὶ ἁγνεύοντας, ΗΡΩΣΙ δὲ ἀπὸ μέσου ἡμέρας. Nec ſolum ex Pythagoræ, verum ex totius Græciæ Theologorum mente *Euſebius* (r) dicit ΠΡΩΤΟΝ ἁπάντων φασὶ τοὺς οὐρανίους δεῖν καὶ αἰθερίους θεοὺς ΘΕΡΑΠΕΥΕΙΝ, ΔΕΥΤΕΡΟΝ τοὺς ἀγαθοὺς δαίμονας, ΤΡΙΤΟΝ τὰς τῶν ἡρώων ψυχὰς, ΤΕΤΑΡΤΟΝ τοὺς φαύλους καὶ πονηροὺς ἀπομειλίσσεσθαι δαίμονας. Quo pertinet etiam, quod *Plutarchus* (s) ait *Platonem* (t) *Olympiis Diis* τὰ δεξιὰ καὶ περιττὰ, τὰ δὲ ἀντίφωνα τούτων ΔΑΙΜΟΣΙΝ *tribuere*.

o) ad aur. Carm. p. 10. conf p. 37.

p) VIII. 23.

q) VIII. 33.

r) Præp. IV. p. 141.

s) de Iſ. & Oſir. p. m. 267.

t) locus ejus extat L. IV. de Legibus.

§. XXX.

Secundum hoc ipſum diſcrimen capienda illa quoque in ſacrificiis diverſitas, qua mox ἔμψυχα offerebantur mox ἄψυχα. Diligenter non minus ac jucunde de hac materia diſſerit *Porphyrius* (u) ſummaque doctrinæ ejus eo redit, *quod non diis ſed ſolis* DÆMONIBUS *offerenda ſint ſacrificia* διὰ τῶν αἱμάτων, *quod a Theologis credi* dicit *Cyrillus*, (x) Unde & apud *Jamblichum* (y) Pythagoras præcipit, φόβῳ καὶ θανάτῳ τῷ ΔΑΙΜΟΝΙ μὴ τιμᾶν (ἴσ. θύειν) Qua de re & *Celſi* inſignis locus apud *Origenem* (z) conſuli poteſt. Hinc ex ſanguinolento cultu Patres ex quibus nominaſſe ſufficiat *Cyrillum* (a) atque *Origenem* (b) demonſtrarunt, *malos à gentilibus Dæmones coli.*

u) de Abſtin. L. II. toto maxime §. 36.

x) adv. Julian. p. 306.

y) in vit. Pythag p. 61.

z adv. Celſ. L. VIII. p. m. 430.

a) adv. Julian. p. 125.

b) adv. Celſ. L. III.

§. XXXI.

§. XXXI.

Adorationis honorem ipſis tributum ſimul cum *primitiis* ſæpe legimus. Omnia hæc comprehendit *Celſus* (c) ΔΑΙΜΟΣΙ inquiens τοῖς τὸ ἐπὶ γῆς εἰληχόσιν εὐχαριστητέον, καὶ ΑΠΑΡΧΑΣ καὶ ΕΥΧΑΣ ἀποδοτέον, ἕως ἂν ζῶμεν. De adoratione ſola loquitur *M. Tyrius* (d) ΠΡΟΣΚΥΝΕΙΝ hortans τὰ ἔγγονα (τοῦ δημιουργοῦ) πολλὰ καὶ παντοδαπὰ ὄντα. *Martianus* item *Capella*, (e) *Nam & populi* inquit GENIO *cum generalis poſcitur* SUPPLICANT, & *unusquisque gubernatori proprio dependit obſequium.* Ubi minime prætermittendus notabilis adorandi ritus apud Chaldæorum magos qui cylindros quosdam aureos, quos Hecates vocabant Sapphiro incluſo, pictos varie loroque bubulo tortos rotantes invocabant Dæmones, ut *Seldenus* ὁ πάνυ (f) memorat.

c) ap. Origen. L. VIII. p. 411.
d) Diſſ. I. p. 14.
e) L. II. p. 38.
f) de Diis Syris. p. m. 113.

§. XXXII.

Genii tutelares quoque ſingulari apud veteres cultu gaudebant. Ut enim taceam, quod Genius P. R. diadematus in nummis quibusdam maxime gentis Corneliæ exhibeatur, de privatorum genii jam ſolum loquar. *Philoſophicus* illius *cultus puritate animi mentisque pietate* abſolvebatur. Sic enim *M. Antoninus* (g) ΘΕΡΑΠΕΙΑ αὐτοῦ (ſc. τοῦ ἔνδον ἡμῶν δαίμονος) ΚΑΘΑΡΟΝ πάθους διατηρεῖν. *Jamblichus* (h) *colendum eum* dicit τῇ Φιλομαθείᾳ καὶ ταῖς περὶ τῆς ἀληθείας Φρονήσεσι. Hinc & *Apulejus* (i) ad Socratis exemplum nos ablegat, ſcribens: *Hic, quem dico prorſus cuſtos ſingularis præfectus, domeſticus ſpeculator &c. ſi rite animadvertatur, ſedulo cognoſcatur, religioſe colatur, ita ut a Socrate* JUSTITIA *&* INNOCENTIA CULTUS *eſt.* *Cultus* vero *materialis*, quique certis peragebatur ritibus, fiebat antiquitus *ſine hoſtia, ſolo vino, thure, ſertis, unguentis, choreis*, inter quas ceremonias *veſte* induebantur *alba* ad *aram* ſtantes, *fauſtaque verba* pronunciantes, alias etiam rite *ornati*, Antiquitus hunc morem fuiſſe ex *Horatio* (k) colligo, ita ſcribente,

g) L. II. §. 13. confer III. 16.
h) Protrept. p. 29.
i) de D. S. p. 80. 81.
k) Epiſtol. II. 1.

Agri-

Agricolæ PRISCI, *fortes, parvoque beati*
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant
FLORIBUS *&* VINO GENIUM *memorem brevis ævi.*
Flores hic & *vinum* modo memorat *Horatius* quorum illæ *ſertis* adhibebantur hoc *libamini.* Hæc ſimul cum *ludis*, *choreis*, *unguentis*, *thure* ornatuque pluribus locis nos docet *Tibullus* ut, (l) l) I. 7.

Huc ades & centum LUDIS GENIUMQUE CHOREIS
Concelebra & multo tempora funde MERO
Illius e nitido ſtillent UNGUENTA *capillo*
Et capite & collo mollia SERTA *gerat.*

Porro (m) m) II, 2.

Ipſe ſuos GENIUS *adſit viſurus honores*
Cui decorent ſanctas mollia SERTA *comas*
Illius puro deſtillent tempora NARDO.
Atque ſatur LIBO *ſit madeatque* MERO.

It. (n) n) IV. 5.

Magne GENI *cape* THURA *libens, votisque faveto.*

Denique (o) o) IV. 6.

Natalis JUNO *ſanctos cape* THURIS *honores*
Quos tibi dat tenera docta puella manu,
Nota tibi eſt hodie, tibi ſe lætiſſima COMSIT
Staret ut ante tuos conſpicienda FOCOS.

In quo ultimo loco notandum eſt loqui ibi fœminam, quarum genii Junones vocabantur. Huc pertinet etiam *Orphici hymni* (p) Inſcriptio: ΔΑΙΜΟΝΟΣ θυμίαμα λίβανον. *Aram erectam*, *albamque* veſtem habet *Ovidius* duobus locis ut, (q) cum natalem ſuum ita alloquitur, p) εἰς δαίμ. q) Triſt. III. 13.

Scilicet expectas ſolitum tibi moris honorem,
Pendeat ex humeris VESTIS *ut* ALBA *meis*
Fumida cingatur florentibus ARA CORONIS,
Micaque ſolenni THURIS *in igne ſonet.*

Item (r) r) Triſt. V. 5.

Quæque ſemel toto VESTIS *mihi ſumitur anno*
Sumatur fatis diſcolor ALBA *meis*

ARAQUE *gramineo viridis de ceſpite fiat,*
Et velet tepidos nexa CORONA *focos.*

§. XXXIII.

Ore denique *favere* dicebantur, quæ phraſis ut & Græcorum εὐφημεῖν duplici ſenſu gaudet. Vel enim *tacinurnitatem* in ſacris notat, vel *bene ominatarum vocum applauſum*, de illo præter *Feſtum* (s) *Seneca* (t) nos inſtruit, *hoc verbum* inquiens, *non ut plerique exiſtimant a favore trahitur, ſed imperatur* SILENTIUM, *ut rite peragi poſſit ſacrum, nulla voce mali obſtrepente.* Poſteriore ſignificatu capienda phraſis in natali ſolennitate. *Tibullus* illud atque *Ovidius* rurſus teſtantur, *Ille* quando canit (u)

DICAMUS BONA VERBA, *venit natalis ad aras;*
Quisquis ades LINGUA *vir mulierque* FAVE.

Hic ſequentibus (x)

LINGUA FAVENS *adſit noſtrorum oblita malorum,*
Quæ puto dedidicit jam Bona verba LOQUI

Item, (y)

Concipiamque bonas ORE FAVENTE *preces.*

Ut de *Græco vocabulo* taceam, de quo tamen videatur *Scholiaſtes Sophoclis* (z) & exempla apud *Ariſtophanem* (a) & *Euripidem.* (b) Et hic quidem antiquiſſimis temporibus genuinusque adeo erat ritus colendi genium tutelarem. Poſtmodum tamen apud principes & honoratiores perſonas invaluiſſe videtur, *ut hoſtiæ etiam immolarentur* die natali. (cum alias conſulto id omiſerint antiqui teſte *Cenſorino.* (c)). Sic *Lampridius* (d) narrat, *aruſpices, cum natalem Alexandri commendarent, ex eo ipſi prædixiſſe imperium, quod* HOSTIÆ *de villa Severi eſſent adductæ.* Et *Spartianus* (e) in commendatione natalis Getæ aperte *hoſtiam a popa cæſam* pronunciat. Ad celebrationem natalis Mæcenatis ita invitat Phyllidem *Horatius* (f)

Ridet argento domus; ARA caſtis
Vincta verbenis, avet IMMOLATO
Spargier AGNO

s) v. Faventia,
t) de vit. beat. c. 26.
u) II, 2.
x) Triſt. V. 5.
y) Triſt. III. 13.
z) ad Oedip. Col. v. 129.
a) Theſmoph. p. 767. & 783.
b) Hecub. v. 664.
c) de die natal. c. 2.
d) in Alex. Sev. c. 13.
e) in Geta, c. 3.
f) Carm. IV. 11.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

In ejusdem *Genii* honorem *lectus* quoque *genialis* ſternebatur, quod claris verbis aſſerit *Arnobius* (g) *cum in matrimonium convenitis* inquit, *toga ſternitis* LECTULUM, *& maritorum* GENIOS *adoratis.* Imò *Feſtus* (h) *lectum genialem dictum* ait *qui in nuptiis in honorem* GENII *ſit ſtratus, unde & appelletur.* Cauſam hujus ritus facile quis deteget, ante nobis dicta de Geniorum in generatione hominum cura conſiderans, quos eosdem & Xuthum intellexiſſe apud *Euripidem* (i) puto, qui invento Joni dicit,

θύσας δὲ γενέταις θεοῖσιν, &c.

g) L. II. p. 91.

h) v. Genialis lectus.

i) Jon. v. 1130.

§. XXXV.

Qua occaſione non prætermittendum cenſemus celebre illud ex antiquitate *poculum*, quod ἀγαθοῦ ΔΑΙΜΟΝΟΣ appellari conſuevit. Equidem ἀγαθὸν δαίμονα alias *Bacchum* dicebant, ut teſtatur *Athenæus* (k) & demonſtrat ritus Theſſalicus a *Plutarcho* (l) memoratus, cum ille dies, quo primum vini novi dolia relinerentur ἀγαθοῦ δαίμονος dicebatur. Fiebat id apud Theſſalos ſexta menſis προςατηρίου, apud Athenienſes undecima Antheſterionis. Et ab initio quidem inſtituti hujus poculi Bacchum per ἀγαθὸν δαίμονα deſignatum nullus dubito, quam in rem facit lex ab Amphyctione Athenienſium Rege, qui acceptam Baccho temperandi vini rationem ferebat ſancita, προσφέρεσθαι μετὰ τὰ σῖτα ἄκρατον μόνον, ὅσον γεύσασθαι, δεῖγμα τῆς δυνάμεως τοῦ ΘΕΟΥ, ut eſt apud *Athenæum*, (m) Succeſſu autem temporis eo rediiſſe illam conſuetudinem facile largiar Viris doctis, ut per ἀγαθὸν δαίμονα, quisque *Deum quem ſibi maxime vellet propitium*, vel etiam *proprium dæmonem* intelligeret. Solebant enim guſtantes poculum hoc vino non diluto impletum ἀγαθὸν iſtum δαίμονα *invocare ne aliquid turpiter faciant, nec immodice bibant, ſed verum ex eo potu fructum percipiant* ut tradit *Theophraſtus* libro *de Temulentia*, (n) Elegans maxime locus eſt hanc in rem *Ariſtophanis* (o) apud quem Demoſthenes bibens πόσιν τοῦ ἀγαθοῦ δαίμονος, dicit

k) L. XV. p. 675.

l) Sympoſ. III. 7. conf. IIX. 10.

m) L. II. p. 38. & L. XV. p. 675. ubi pro παρὰ δεῖπνον leg. μετὰ δ.

n) ap. Athen. L. XV. p. 693.

o) Equit. I. 1.

Ω

Ὦ ΔΑΙΜΟΝ ἀγαθὲ, σὸν τὸ ΒΟΥΛΕΥΜ' ἐκ ἐμόν.

Notum vero ex antecedentibus de Geniis, quod iis directio conſiliorum noſtrorum tribuatur. Acute huc transfert Vir Illuſtris *Dan. Heinſius* (p) illud *Horatii* de Auguſto dictum (q)

p) ad Horat. p. m. 43. ſeq.

q) Carm. IV, 5.

& alteris

Te menſis adhibent DEUM.

Solebant enim hoc poculum non niſi ſub finem cœnæ inferre, quod tangit & *Apoſtolius* (r) ſed non ſatis exacte ritum deſcribit, quando inquit, ἔθος εἶχον οἱ παλαιοὶ μετὰ τὸ δεῖπνον πίνειν ἀγαθοῦ δαίμονος, ἀπορροφοῦντες ἄκρατον καὶ τοῦτο ἦν τρίτον. Namque omnino ſic confudit pocula reliqua eodem fere tempore hauſta, ὑγείας puta καὶ Διὸς σωτῆρος. Ad extremum teſtes adhuc aliquos *Athenæo* etiam citatos in medium de iſto poculo proferam, ſic *Nicoſtratus* in *Pandroſo*

r) Prov. I. 12.

Ἀλλ' ἐγχέασα θᾶττον ΑΓΑΘΟΥ ΔΑΙΜΟΝΟΣ
Ἀπενεγκάτω μοι τὴν τράπεζαν ἐκ ποδῶν.

Et *Xenarchus* in *Didymis*

Ὡς εὔπολι νυστάζειν γε κἀυτὸς ἄρχομαι
Ἥτ' ΑΓΑΘΟΥ ΔΑΙΜΟΝΟΣ
Συνέσεισε μ' ἐκποθεῖσα φιάλη παντελῶς.

Sufficerent hæc de iſto poculo, niſi obiter adhuc monendus eſſet B. L. de *Stuckii* errore, qui hunc ritum commemorans (s) omnia confundit, dum Διὸς σωτῆρος, ὑγείας & ἀγαθοῦ δαίμονος πόσεις pro una eademque varias ſolum appellationes ſortita venditare non dubitat. Seduxiſſe ipſum fere auguror *Apoſtolium*, attamen facile ſe expedire potuiſſet, ſi omnia Athenæi loca, quæ tanto ſtudio allegat, pari diligentia voluiſſet perpendere. Evincit ſane vel ultimus quem adduxi Xenarchi quam clarisſime, Jovis Servatoris & boni genii pocula fuiſſe diverſa. Pari modo impingit, cum duo in quavis cœna ἀγαθοῦ δαίμονος pocula facit.

s) Antiq. Convival. III, 23.

§. XXXVI.

Nec *larum cultus*, quippe ſatis inſigni inter Dæmones officio notorum omittendus. Audiamus maxime hic ido-

neum

neum teſtem larem de ſe ipſo loquentem apud *Plautum* (t) t) Prolog. Aulul.

Huic filia una eſt: Ea mihi cottidie
Aut THURE, *aut* VINO, *aut aliqui ſemper ſupplicat*
Dat mihi CORONAS.

Et hic quidem erat ſimplicitatem veteris ævi redolens lares colendi modus, addendæ tamen ſunt *ciborum in menſis appoſitorum primitiæ*, quod vel ex hiſtoria Servii Tullii apud *Plutarchum* (u) & *Dion. Halicarnaſſeum* ubi ejusdem regis origines narrat poteſt patere. Scite omnia & graphice ob oculos ponit elegantiarum promus condus *Tibullus* (x) ita lares ſuos alloquens.

u) De Fortun. Rom. p.m.349.

x) I, 10.

Neu pudeat priſco vos eſſe e STIPITE *factos*
Sic veteris ſedes incoluiſtis avi,
Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu,
Stabat in exigua LIGNEUS *æde Deus*
Hic placatus erat, ſeu quis libaverat UVAM
Seu dederat ſanctæ ſpicea SERTA *comæ*
Atque aliquis voti compos liba ipſe ferebat,
Poſtque comes purum filia parva FAVUM.

Quemadmodum vero tenuis Romana res a parvis principiis ad ſummam creverat magnificentiam quod eleganti elegia demonſtrat *Propertius* (y) ſic & ſubſequenti tempore *porcum* offerre laribus adeoque hoſtia cruenta ipſis facere fuit receptum. Teſtatur hoc ita pergens *Tibullus*

y) IV. 1.

At nobis ærata LARES *depellite tela*
Hoſtia erit plena myſtica PORCUS *hara*
Hunc PURA *cum* VESTE *ſequar* MYRTO QVE *caniſtra*
Vincta geram MYRTO *vinctus & ipſe* CAPUT
Sic placeam vobis.

Addo *Horatium* (z) z) Carm. III. 23.

Si THURe *placaris & horna*
FRUGE LARES *avidaque* PORCA

Et

a) Satyr. II. 3. Et iterum (a)

immolet æquis

Hic PORCUM LARIBUS

Juvencæ etiam ante lares immolatæ, quod monſtrat *Propertius* (b)

b) IV. 6.

Et cadat ante meos icta JUVENCA *focos*,

c) I. 1.

Pauperiores *agnas* dabant, ſic de ſe *Tibullus*, (c) cum *vitulas* feliciori ſtatu dixiſſet laribus immolatos, inquit,

Tunc VITULA *innumeros luſtrabat cæſa juvencos*

Nunc AGNA *exigui eſt hoſtia magna ſoli*,

AGNA *cadet vobis*.

De *coronis* autem nihil mutatum credo, quippe quæ in omnibus ferme ſacris gentilium conſtantis uſus fuere, nec Deorum ſolum ſimulacris, verum & templi liminibus arisque appenſæ. *Cato* (d) certe villicæ non ſolum præcipit, *ut focum purum circumverſum quotidie priusquam cubitum eat habeat, & ut ſtatis diebus* LARI *familiari pro copia ſupplicet, verum etiam ut Calendis Nonis, Idibus, feſtus dies cum erit* CORONAM *in focum indat*. Quin imo Illuſtr. *Spanhemius* (e) obſervat *coronata Deorum ſimulacra etiam privata, & inter ſupplicationem tactas easdem coronas*. Conficit rem totam *Plinius* (f) CORONÆ *Deorum honos erat* inquit & LARIUM. *Thure* quoque iis & *primitiis de menſa* conſtanter ſacrificatum. Illud oſtendit *Propertius* (g)

d) de R. R. p. m. 58 Ed. Gryph.

e) ad Callim. p. 512.

f) XXI. 3.

g) IV. 6.

Coſtum molle date, & blandi mihi THURIS *honores*.

h) I. 1.

Hoc *Tibullus* (h)

Adſitis Divi, nec vos e paupere MENSA

DONA, *nec e puris ſpernite fictilibus*.

Colebantur lares non ſolum *ad focum* ſed & in *cubiculis*, unde *Suetonius* (i) *Domitiani cædi puerum interfuiſſe* narrat, *qui curæ* LARIUM *cubiculi ex conſuetudine aſtiterit*. Hoc ipſum eſt, quod *lararium* vocat *Capitolinus*. (k)

i) Domit. c. 17.

k) in M. Aurel. c. 3.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Porro de *laribus* memoratur, *quod canis iis appictus, canina etiam pelle ſimulacra ipſorum tecta fuerint.* Cujus rei *Plutarchus* (l) duplicem affert rationem, vel *quia domum cuſtodire incolisque addicti, terribiles peregrinis eſſe debeant*, vel, quod ſint ἐριννυώδεις τινὲς & ποίνιμοι ΔΑΙΜΟΝΕΣ, ἐπίσκοποι τῶν βίων καὶ οἴκων. Quod tamen ad terrorem peregrinis incutiendum attinet, non video, quomodo hoc cum ea conſuetudine ſtare poſſit, quo ſupplices exteri ad focum ſolebant confugere, quo clientes familiæ *ſub lare* ipſius paſſim & ſpeciatim apud *Ovidium* (m) eſſe dicantur. Quod alteram rationem, videtur confundere Plutarchus *lares* cum *larvis*. Sicut enim in *priori Diſſertatione* (n) vidimus ex *Apulejo*, *lares erant illi, qui quieto & pacato numine domum poſſidebant, larvæ, qui ob patrata vitia in terra puniebantur vagatione.* Ut adeo illa maxime ratio placeat, quam *Ovidius* (o) affert,

l) Qv. Rom. 51.

m) de Ponto, I. 8.

n) §. XIV.

o) Faſtor. V.

> *Et* CANIS *ante pedes ſaxo fabricatus eodem*
> *Stabat, quæ ſtandi cum* LARE *cauſa fuit?*
> *Servat uterque domum, domino quoque fidus uterque*
> *Compita grata Deo, compita grata cani,*
> *Exagitant & lar, & turba diania fures,*
> *Pervigilantque lares, pervigilantque canes.*

Ex quibus *Ovidii* verbis patet, in hoc quoque impingere *Plutarchum*, quod *laribus* tantum *præſtitibus* præbeat, quæ omnibus erant præbenda. Feſtum in honorem larium *laralia* appellatum in *Calendario antiquo* invenimus *Calendis Majis* celebratum. Illud vero ad *præſtites* ſolum ſeu *publicos lares* pertinet, quod rurſus liquet ex *Ovidio* (p)

p) l. c.

> *Stant quoque pro nobis & præſunt mœnibus urbis.*

Quemadmodum & *compitalia* Decembri celebrata. Hinc *Propertius* (q) *Ennium* & alia ceciniſſe tradit,

q) III. 3.

> *Hannibalemque* LARES *Romana ſede fugatos.*

Quomodo me præcipua ſaltem eorum, quæ ad larum cultus pertinent, explicaſſe confido.

§. XXXVIII.

Hoc loco & *Nympharum*, quæ *fontium* plerumque erant *tutelares Deæ* cultum inſero, qui *lacte corollis* & *floribus* fiebat. Sic enim *Longus*, (r) τὰ ϑ (ſc. ἄνθη) ΣΤΕΦΑΝΙΣΚΟΥΣ πλέκοντες, ταῖς ΝΥΜΦΑΙΣ ἔφερον. Et idem (s) *hircum ipſis immolatum* LACTE *prius perfuſum* docet, alibi (t) vero *primitias* LACTIS *ipſis a Chloe oblatas* memorat. Quemadmodum in genere de *paſtoralibus Diis* notum quod lacte fuerint aſperſi, qua de re *Tibullus* (u)

LACTE *madens illic ſuberat Panilicis umbræ.*

Tarpejæ virginis ſingularem oblationem Nymphis factam nobis exponit *Propertius* (x)

Sæpe tulit blandis argentea lilia NYMPHIS.

r) Paſtor. L. I. p. 8.
s) L. II. p. 58.
t) p. 49.
u) II. 5.
x) IV. 4.

§. XXXIX.

Claudant agmen *ſepulchralia* veterum *ſacra*, quæ cum prolixe tractare ſupervacaneum foret, poſt tot tantorumque Virorum non contemnendos labores, ne tamen pars aliqua huic diſſertationi deſit, quædam ſaltem ex illis ritibus ſumus delibaturi. Fundamenti loco ſint verba *Virgilii* (y) quæ quamvis ſint aliquantum prolixa non pigebit aſcribere.

Ergo inſtauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus, ſtant manibus ARÆ,
Cæruleis mœſtæ VITTIS, *atrâque* CUPRESSO,
Et circa Iliades CRINEM *de more* SOLUTÆ,
Inferimus tepido ſpumantia cymbia LACTE
SANGVINIS *& ſacri pateras, animamque ſepulchro*
Condimus, & magna ſupremum voce ciemus.

Aras hic primum habemus, quas *ſepulchrales* vocat *Ovidius* (z). Habemus circa aras etiam *vittas* ſeu tænias, aut coronas, de quibus *Varro* (a) dicit, quod *ex lana fuerint*. Sunt autem *cæruleæ*, qui color alias pullus dictus, ferrugineus erat, inter purpureum & nigrum medius, nobis violaceus, quo in luctu honoratiores Romanos uſos fuiſſe aſſerit

y) Æn. III. v. 62. ſq.
z) Metam. IIX. v. 4 · 1.
a) de L. L. L. VI.

Vir

Vir raræ eruditionis *Iſ. Voſſius* (b). Porro ſequuntur *cupreſſi*, quibus & ad rogum Miſeni uſi fuerunt ut ex ipſo liquet *Virgilio* (c). *Crines ſolutos* in luctu non minus quam abſciſſos frequentes multa veterum loca & maxime *Terentianus* (d) ille evincit, quo ſervus amatori refert ſe amicam ejus vidiſſe veſte lugubri,

b) ad Catull. p. 18.

c) Æn. VI. v. 215. 216.

d) Heavtont. II. 2. conf. Phorm. I. 2.

Capillo PASSO, *prolixo, circum caput*
Rejecto negligenter.

Sequantur *cymbia lacte repleta*. *Lactis* vero creber in inferiis ejusmodi uſus, maxime cum *vino* nam & ipſi Plutoni lac vino mixtum offerri ſolitum, quod probat *Tibullus* (e)

e) III. 5.

Interea nigras pecudes promittite diti
Et nivei LACTIS *pocula miſta* MERO.

Quin imo bibere hanc κρᾶσιν paſtores ſolebant, ſic enim *Longus* (f) ἔπιον OINON μίξαντες ΓΑΛΑ. Oſſa quoque collecta vino & lacto ſpargebantur, unde *Tibullus* (g)

f) L. II. p. 64.

g) III. 2.

Et primum annoſo ſpargant collecta LYÆO
Mox etiam niveo fundere LACTE *parent.*

Apud *Virgilium* (h) ipſe Æneas

h) Æn. V. v. 77.

duo rite MERO *libans carcheſia Baccho*
Fundit humi, duo LACTE *novo, duo ſanguine ſacro.*

Cujus *ſanguinis ſacri* in noſtro quoque loco mentio fit, eſtque ſanguis victimarum, quæ in inferiis ſolenni ritu cædebantur. Tum demum *condunt manes* antea ob violentam cædem vagos *ſepulchro*, *terque ad ultimum eos vocant*, quod eſt *Tibullo* (i) *Præfari manes*, ubi vide quæ notavit Illuſtr. *Joſ. Scaliger*.

i) III. 2.

§. XL.

Plurima hoc loco ut vidimus continentur ad cultum funebrem ſpectantia, deſunt tamen aliqua, quæ aliunde ſum annotaturus. Ritus in oſſium collectione obſervandos recitat *Tibullus* (k)

k) l. c.

Perfuſæque pias ante liquore manus,
Pars quæ ſola mei ſuperabit corporis oſſa,
Incinctæ nigra candida veſte legant.

Et

Et primum annoſo &c.

Poſthæc carbaſeis humorem tollere velis
Atque in marmorea ponere ſicca domo.

l) III. 25. *Unguentis* ſepulchra perfuſa patet ex *Propertio* (l)

Afferet huc UNGUENTA *mihi Sertisque ſepulchrum*
Ornabit.

Præter *coronas* quarum modo mentionem fecit *Propertius*
m) Æn. V. v. 79. ſparſim etiam jacti in ſepulchro *flores*, Hinc *Virgilius* (m)

Purpureosque jacit FLORES.

Quas *roſas* fuiſſe non ſine cauſa credimus, cum *Auſonius*
n) Epitaph. 36. ſcribat (n)

Sparge mero cineres, bene olenti & unguine nardi,
Hoſpes, & adde ROSIS *balſama puniceis.*

Quid quod & in rogis concremaverint,

Thurea dona, dapes, fuſo crateras olivo.

Poſt mortem deinde iis, quos *heroum* dignos cenſebant honore ἡρῷα extruebant, inferiora dignitate templis ut deducit *Cl. Salmaſius*, (o) unde tot ἡρώων diligens *Pauſanias* in
o) ad Inſcr. Regillæ p. 119. ſ. deſcriptione ſuæ Græciæ facit mentionem. His heroibus apud Athenienſes parentabant duces inſignes ac nobiles, quod
p) Æth. I. 17. colligo ex *Heliodoro* (p) Ἐπειδὴ καὶ τὸν βόθρον ἐγνώκειν, τὸν ἐν Ἀκαδημίᾳ, ἔνθα τοῖς ΗΡΩΣΙΝ οἱ ΠΟΛΕΜΑΡΧΟΙ τὸ πάτριον ΕΝΑΓΙΖΟΥΣΙ. In *heroum* ſeu *Semideorum* ſacris a-
q) Qu. Rom. 90 lios Deos ſimul invocari non potuiſſe *Plutarchus* (q) innuit, attamen invocari potuiſſe alios qui non erant dii, ex eo pa-
r) περ. φιλαδελφ. p. III. 333. tet, quod alibi refert, (r) Iolaum ſæpe Herculi eſſe σύμβωμον (e. g. Athenis ut eſt apud *Pauſaniam*, (s) ſæpe etiam,
s) Attic. p. 44. tanquam ipſius παραστάτην ſimul cum eo invocari. Addimus ultimo loco celebre illud *Pythagoræ* præceptum τὰ πεσόντα ἀπὸ τραπέζης μὴ ἀναιρεῖσθαι, quod extat apud
t) VIII. 34. *Laërtium* (t) & *Svidam* (u) cujus explicationem ſuppeditat
u) v. Πυθαγόρας. partim fragmentum *Ariſtophanis* apud eundem *Laertium*,
x) L. X. p. 427. partim *Athenæus* (x) τοῖς ΤΕΤΕΛΕΥΤΗΚΟΣΙ τῶν φίλων ἀπένεμον τὰ πίπτοντα τῆς τροφῆς ἀπὸ τῶν τραπεζῶν, διὸ

καὶ

καὶ Ἐυριπίδης περὶ τῆς Σθενοβοίας Φησιν, ἐπειδὴ νομίζει Βελλεροφόντην τεθνάναι,

> Πεσὸν δέ νιν λέληθεν ὀυδὲν ἐκ χερός
> Ἀλλ᾽ ἐυθὺς ἀυδᾷ τῷ Κορινθίῳ ξένῳ.

§. XLI.

Abſolutis itaque, quæ poſt priorem evulgatam diſſertationem tractanda nobis *de Dæmonibus* ſupererant, nil reſtat amplius, quam ut nos noſtraque ſtudia erudito attentoque lectori de meliori nota commendemus, in cujus gratiam ſub finem *Phædri* illud ad *Eutychum* liceat addere.

> *Induxi te ad legendum; ſincerum mihi*
> *Candore puro reddas judicium peto.*

COROLLARIA.

I.

Statum integritatis & labem originalem ex lumine naturæ probabili ratione aſſequi poſſumus.

II.

Bonum non eſt homini, quod non poteſt aſſequi.

III.

Animam materialem eſſe, non ſequitur ex difficilitate concipiendi, quod a ſpiritu incorporeo partes corporis in ſuos motus cieri queant, nec ex ipſius animæ cognitione, qua materialia facilius comprehendit ſpiritualibus.

IV. *Li-*

IV.

Licet veris Chriſtianis fœdera cum illis jungere nationibus, quæ a fide ſunt alienæ.

V.

Philo Judæus & Joſephus de Urim & Thumim ſententiam ſuam non reticuere, cum ille duas imagines, hic ipſas gemmas conſtituiſſe putaverit τὰ Urim ac Thumim.

VI.

Παρεργᾷ *Magnus Voſſius Theol. Gentil. I. 12. Getam Caracallæ fratrem ex familia ſolum Auguſta, non etiam Principem fuiſſe aſſerens.*

VII.

Cornua capitibus Regum in nummis appicta ſignum ſunt potentiæ.

VIII.

Particula Græcorum τε non eſt expletiva, verum tantum non ubique copulandi ſignificatum habet.